



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1720**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-6387**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Tertiæ*

### FASCICULUS SEXTUS.



*BREMÆ,*

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

---

Typis HERMANNI BRAUERÏ, MD CCXX.

VIRO  
*Celeberrimo Plurimum-  
que Reverendo*  
D. JOHANNI  
ARNOLDO  
NOLTENIO,  
SACRARUM LITE-  
RARUM DOCTORI,  
& earundem hactenus in  
Academia Viadrina  
Professori ordi-  
nario,  
nuperrime vero a Serenissimo Bo-  
russiae Rege ad munus ecclesiasti-  
cam in aula ejus Regia Beroli-  
nensi obeundum clemen-  
tissime evocato,  
meritis in Ecclesiam Reformatam ac  
Rempublicam literariam quampluri-  
mis conspicuo,

*Octavum hunc supra decimum*  
BIBLIOTHECAE

HUJUS

FASCICULUM,

in amicitiae arctioris, nec  
reconciliatae, nec unquam in-  
termoriturae pignus atque testi-  
monium publicum, qua par  
est observantia, offerunt,

utque conaminum ho-  
rum in sanctorum studiorum  
promotionem susceptorum, pro infi-  
gni, quo fertur, in piam eruditionem  
amore, curam ac patrocinium  
porro gerere dignetur,

enixe rogant

EDITORES.

Con-

- (○)
- Conspectus articulorum hujus fasciculi.
- I. HERMANNI REINERS, V. D. M. observationum sacrarum ΔΕΚΑΣ. p. 957.
  - II. FRID. AD. LAMPE de τῷ βδελύγματι τῆς ἐρημώσεως ad Matth. XXIV. 15. dissertatio. p. 990.
  - III. JACOBI HASÆI de ONONYCHOETE, Christianis verpi cujusdam nequitia afficto Numine ad V. C. *Job. Phil. Heinium* Epistola p. 1036.
  - IV. JOH. D' OUTREIN dissertatiuncula in locum Matth. VIII. 11. p. 1071.
  - V. LUDOVICI WOLTERS LOCA Selecta Rabbinica e libris Sohar & Rabboth, Scripturam sacram & fidem Christianam illustrantia. p. 1084.
  - VI. EPISTOLÆ quatuor hactenus ineditæ de causa potissimum Sacramentaria, *H. Bullingeri, M. Buceri & J. Sturmii.* p. 1092.
  - VII. Vita JOH. LA PLACETTE, Theologi Reformati Hafniensis. p. 1106.
  - VIII. Vita ABRAHAMI TROMMII Theologi Groningani. p. 1117.
  - IX. Epistolæ Th. JANSONII AB ALMELOVEEN ad *Job. d' Outrein*, quibus quædam ad tractatum ejus de tabernaculo Dei spectantia illustrantur. p. 1123.
  - X. Libri novi Latine editi. p. 1132.  
Gallice, p. 1137.  
Belgice, p. 1139.



I.

*HERMANNI REI-  
NERS,*

*V. D. M. in pago vulgo  
dicto Oostgraftdyk in Hol-  
landia Boreali*

*Observationum Sacrarum ΔΕΚΑΣ.*

ARGUMENTUM.

Locus Ps. II. 7. Nonnulli verba *Ego hodie genui te* exponunt de æternæ generationis filii Dei declaratione & manifestatione in tempore §. 1. Rationes pro hac interpretatione §. 2. Ostenditur subjecta verba debere exponi de æterna filii generatione a patre §. 3. 4. Rejicitur Sententia Cl. Gatakeri §. 5. Respondetur ad rationes allatas §. 6. 7. 8. *Epb. IV. 3. Συνθεσιμὸς* idem fere est quod *εἰρήνη*. Quæ vox non est *παρὰ τὸ εἶπεν ἐς ἐν*, sed simpliciter *παρὰ τὸ εἶπεν*. Pacis vinculum illustratur emblemate caducei & Ere-  
Class, III, Fasc. VI,                      299                      lionis

tionis §. 9. *Eph.* IV, 10. Nulla videtur nos cogere necessitas quare hic non intelligamus omnes tres cœlos §. 10. *Eph.* VI. 21. Verba τὸ πρῶτον verti possunt *quid faciam, Wat ik doe, & quid agam hoe't met my staat.* §. 11. 12. *Eph.* VI. 24. τὸ ἐν ἀφθαρσίᾳ ad Christum dominum referri debet, & significat statum ejus gloriosum nulli corruptioni obnoxium §. 13. *Phil.* I. 21. Sensus horum verborum est Apostolum nullam aliam mercedem expetere sive vivendo sive moriendo, quam ut Christo serviret §. 14. *Phil.* III. 20. Paulus videtur alludere non tantum ad Israelitas, sed ad Romæ illud δίκαιον, quod communis erat patria omnium in orbe Romano degentium §. 15. proferuntur non dissimilia gentilium dicta §. 16. 2. *Tim.* IV. 6. ἀνάλυσις hic notare potest & dissolutionem & discessum. Rationes pro prima notione §. 17. τὸ ἀναλύσαι *Phil.* I. 23. reddi etiam potest *dissolvi.* Rationes oppositæ examinantur. §. 18. Rationes pro significatione *discessus* §. 19. 1. *Tim.* VI. 20. Apostolus alludit potissimum ad depositum sermonum §. 20. *Jac.* II. 20. Caritas dicitur νόμος βασιλικός quod sit suprema lex quæ aliis virtutibus leges imponit & maxime prodest, aut quod sit immutabilis.

Obs. 1. ad Ps. II: 7.

§. I.

**E**ffe inter ipsos orthodoxos qua Veteres qua Recentiores æternam filii a patre generationem firma fide tenentes, qui priora quidem verba *Tu es filius meus* proprie de æterna generatione, posteriora vero *Ego hodie genui te* im-

pro-

proprie interpretanda censeant de æternæ generationis declaratione & manifestatione in tempore publica per missionem in mundum, auditam patris vocem in baptismo, & opera quæ pater ipsi dederat facienda, resuscitationem ex mortuis, ascensionem in cœlum, exaltationem ad dextram patris &c. docuerunt me viri eruditissimi & celeberrimi *Rivetus in Ps. II. Gomarus ad Hebr. I. Gatakerus adv. Miscell. L. I. C. V.* & præcipue *Outhovius* dissertatione ad hunc psalmi locum, quæ extat in Bibliothecæ hujus Classis Secundæ Fasciculo Quarto qui ipse hanc quoque tuetur sententiam.

§. II. Rationes præcipuæ quas doctissimi viri pro hac exegesi adferunt sunt hæ sequentia. I. Quoniam  $\text{עוֹלָם}$  nunquam in SS. indicat æternitatem, sed semper certum & definitum tempus, vel præsens tempus *Deut. 27, 9. Deut. 30, 19. Hos. 4, 5. Ps. 95, 7. Ps. 119, 91. Prov. 7, 14. &c.* quod de æternitate dici non potest. II. Quia  $\text{לֵב}$  in genere notat *producere, in lucem edere Job. 38: 29. Prov. 27. Ps. 7: 15. Jes. 26: 8. fieri manifestare, demonstrare, palam facere Prov. 17: 17. &c.* III. Quia verba subiecta referuntur ab Apostolo ad demonstrationem æternæ generationis filii Dei in tempore *Act. 13: 32, 33. Heb. 1, 5. Hebr. 5: 5.*

§. III. Sed ignoscant mihi Eruditissimi viri si rationibus illis manus dare non queam, existimemque verba *Ego hodie genui te, æque quam Tu es filius meus* de æterna Filii a Patre generatione

tione exponenda esse. *α.* Cum enim nomen  
 filii præcesit nihil simplicius est quam verba  
*Ego hodie genui te* capere tanquam rationem &  
 fundamentum istius appellationis. Hinc be-  
 ne *Cl. Gatakerus adv. Misc. L. I. C. V.* Verum  
 coacta nimis interpretatio ista. *Genuite, genitum*  
*te indicavi, nec convenit satis cum dictionis pro-*  
*phetica membro priori, cujus in posteriori ratio sub-*  
*jungitur videtur. Filius meus es tu, quare? quia nem-*  
*pe hodie genui te.* Quare etiam *Schlichtingius* vi-  
 dit, verbis: *Hodie genuite* id dictum esse quia  
*ego te genui ideo te filium meum voco, ut filiati-*  
*onis causam ipsam generationem esse ipse-*  
*met largiri videatur. β.* Accedit quod neces-  
 sarium quodammodo videatur verba *Ego hodie*  
*genui te, ut filiationis causam sumere, nequis*  
*putet nomen filii sensu leviori debere exponi*  
*& fundamentum habere in divina creatione,*  
*exaltatione, regeneratione ad Dei similitudi-*  
*nem, adoptione ad ejus familiam aut amore*  
*singulari, uti Judæi cavillantur, Messiam Dei*  
*filium dici quoniam Deus eum sic amaturus*  
*sit, ut pater filium suum amare solet, ideo-*  
*que non dixisse בן לי אהה *Filius mihi es tu, quod**  
*necessarium arbitrantur, si natura pater fuisset,*  
*sed בני אהה *Filius meus es tu, ut in Midrasch**  
*Tebim legitur; Sed ut quam evidentissime*  
*patescat nomen filii fundamentum habere in*  
*æterna generatione a patre, per quam ean-*  
*dem plane æternam & incomprehensibilem*  
*eum ipso habeat divinam essentiam.*

§. IV. Vim istius ratiocinii ostendit Doctif. Goussetius in confut. libri Chizzouk Emunah p. 69. Quod nomen filii, inquit, jam generationem filii ex propria patris natura bujus lingue aliarumque omnium instituto significat, sicque nos ad eum sensum amplectendum invitat, tumque frequentia, ac gravia de nature divina inscrutabilitate monita nobis contra ratiocinandi ansam præripiunt, sed ipsius desesibi soli vere cognito verbis acquiescere cogunt. Insuper tamen Deus tarditatis etiam fidei nostræ rationem clementer habens, cavet ne quis utrum filius adoptione & gratia an generatione & natura intelligeretur, querendo diutius hareret, & id occupavit explicare addens se genuisse illum אני היום ילדתי Ego hodie genui te, quibus verbis filiati- onem hanc ad naturalem ineluctabili declaratione de- terminavit. Atque hinc Paulus observat no- men filii esse διαφωρότερον παρ' ἀγγέλων, ob hanc nempe rationem quod Deus nulli ange- lorum dixerit. Tu es filius meus ego hodie genui te Heb. 1. 5. ac si dixisset (verba sunt Cl. Suren- busii L. Concil. ad h. l.) Vos Hebræi putatis Dei verba in Psalmo secundo expressa, filius meus tu es hodie genui te, de aliquo Angelo esse intelligenda sed quero ut mihi Angelum illum indicetis, quem Deus singulari modo genuisse dicitur hoc vero cum facere non possitis, Ego dico Deum de Messia loqui, qui sin- gulari & incomprehensibili quodam modo a deo ge- nitus est. Quare omnino existimo Apostolum de industria addidisse verba Ego hodie genui te, ad probandam Christi divinitatem & ut ὑπερ-

•χὴ quam præ aliis improprie tantum dictis Dei filiis habeat, magis elucesceret.

§. V. Quod enim eruditissimus *Gatakerus* *adv. miscel. L. I. C. V.* asserit Christo θεανθρώπω hoc elogium adscribi partim quod natura ipsius, quam nobiscum eandem specie, sed numeris omnibus absolutam gerit, humana, Dei solius virtute mera in utero virginali condita, partim quod eadem ὑπὸ τῆς λέγῃς, qui ab æterno Dei filius extitit, ita est assumpta, ut unam eandemque cum illo junctim personam constituat, quod ad Apostoli propositum abunde suffecerit, ut Christus titulum *fili* Dei qua *Deus natura*, sed qua *homo gratia* obtineat, hoc mihi valde a vero remotum videtur. Nam & nusquam in SS. nomen *fili* Dei datur Christo secundum humanam naturam, sed solummodo secundum divinam naturam quod non tantum liquet ex Psalmo secundo ubi Deus est qui genuit, & qui genitus est, & de eo agitur de quo dicitur *Beatus est qui confidit in eum* &c. Sed etiam ex locis clarissimis Rom. 1:2. Joh. 10:35.36. quin & ex hoc loco ad Hebræos ubi ex hoc dicto Christi divinitatem, vult probare. Uti ex hisce aliisque contra æternæ generationis filii Dei a patre hostes demonstrarunt solidissime orthodoxi. Verum quidem est Apostolum hoc capite de Christo θεανθρώπω in carne exhibito agere, sed hoc nihil obstat quo minus simul æternam illius generationem, ad excellen-  
tiam

tiam personæ commendandam ostendat, uti  
 etiam v. 1. de filio incarnato locutus est &  
 tamen v. 2. æternam ejus generationem de-  
 scripsit, & mundi creatorem esse eo loco &  
 sequentibus asserit ac probat. Male quo-  
 que supponit vir doctissimus verba Psalmi se-  
 cundi *tu es filius meus Ego hodie genui te* debere  
 intelligi de nativitate Christi ex Maria vir-  
 gine & plane convenire cum *Luc. 1:35.*  
 Neque præcellentia humanæ Christi naturæ  
 quæ numeris omnibus absoluta est & Dei so-  
 lius virtute in utero virginali condita, & quæ  
 ὑπὸ τοῦ λόγου qui ab æterno Dei filius extitit ita  
 est assumpta ut unam eandemque cum illo  
 junctim personam constituat, causa esse potest  
 quare nomen *filius Dei* tamquam διαφωρότερον  
 ὑπὲρ ἀγγέλων ipsi competat, cum ne sic Ada-  
 mo quidem divina itidem virtute creato &  
 filii Dei nomine insignito præstantior esset,  
 nedum Angelis, & certum sit humanam Chri-  
 sti naturam quamvis a filio in unitatem perso-  
 næ assumpta sit, manere vere humanam. Ex  
 quibus omnibus manifestum est Christum qua  
*Deum* tantum titulum filii Dei *natura* obtine-  
 re, non autem etiam qua *hominem gratia*. Be-  
 ne *Chrysothomus ad Heb. 1, 5.* ὁρᾷς ὅτι οἶδε τὸ  
 υἱὸς ὄνομα τὴν γνησιότητα δηλόν. Καὶ μὲν εἰ μὴ  
 γνήσιον ἦν, ἕκαστον τῶν εἶπε. Πῶς. ὅτι διὰ δὲν ἕτερον  
 γνήσιον ἐστίν, ἀλλ' ἢ τὸ ἐξ αὐτοῦ εἶναι, ἀπὸ τοῦ τοί-  
 νυν ἰσχυρίζεται, εἰ δὲ χείρτι ἐστίν υἱὸς, ἔ μόνον ἔ  
 διαφωρότερον αἰθῶ καὶ ἐλάττων ἐστίν ἀγγέλων.

Πῶς; ὅτι καὶ ἄνθρωποι δίκαιοι ἐκλήθησαι υἱοὶ, καὶ  
 εἰ τὸ υἱοῦ ὀνομαζῶν μὴ γνήσιος ἦ, ἔκ ισχύος δεῖξαι τὸ  
 διάφορον. *Vides quod nomen filii scit significare  
 proprietatem & germanitatem? Et certe si non est  
 proprius & germanus filius, proprium autem &  
 germanum nihil est aliud quam ex ipso, quomodo  
 ex eo confirmat? Nam si est gratia filius, non so-  
 lum est Angelis non præstantior; Sed etiam minor.  
 Quomodo? quia homines quoque iusti vocati sunt  
 filii: & nomen filii nisi sit filius proprius non potest  
 extendere excellentiam.*

§. VI. Accedit hisce quod rationes a do-  
 ctissimis viris allatæ nos minime cogant sub-  
 jecta verba *Ego hodie genui te* improprie de de-  
 claratione & manifestatione generationis inter-  
 pretari. Quod enim rationem primam atti-  
 net, facile largior vocem הוֹיָה cum ad nos  
 refertur notare tempus & quidem certum &  
 definitum, verum cum hic non nobiscum lo-  
 quitur Deus, sed cum illo qui extra tempus  
 apud Deum est, ut scite magnus *Lutherus*, ne-  
 cessario *hodie* illud intelligendum est de tem-  
 pore Dei non nostro id est de mera Dei æter-  
 nitate. Hinc doctissimus *Glassius* L. 3. tract.  
 5. de *Adv.* p. 438. postquam observaverat *Ho-  
 die* etiam pro præsentis tempore sumi, confe-  
 ssim addit. *Alia vero eaque diversissima* ratione  
 הוֹיָה *hodie* usurpatur in dicto Ps. 11, 7. *Jehova* di-  
 xit ad me, *filius meus es, ego hodie genui te.* Quia  
 enim de filii Dei a Deo patre generatione his ver-  
 bis agitur, igitur τὸ *hodie*, non ratione ullius suc-  
 ces-

sessionis, sed ratione nuda presentia (quod enim  
 jam est hodie, id praesens est) Deo competit & sic  
 meram aeternitatem notat. Nimirum cum aeter-  
 nitas nihil aliud sit quam interminabilis vita tota  
 simul & perfecta possessio secundum Boethium de  
 Consol. Phil. L. 5. Prof. 6. aut mera illa cogitatio,  
 quatenus se ipsam sive suam essentiam totam inde-  
 penderet, & perfectissime semel possidet secundum  
 Poiretum L. 3. c. 16. §. 3. optime & conve-  
 nientissime per *Hodie* exprimitur. Praeteri-  
 tum jam non est futurum autem nondum: u-  
 num praesens semper est: nam etsi abit tem-  
 pus, tamen hoc quod est, praesens est, uti  
 apposite magnus Scaliger de Caus. L. L. c. 113.  
 Bene etiam Augustinus Ps. 101. Aeternitas ipsa  
 Dei substantia est quae nihil habet mutabile, ibi nihil  
 est praeteritum, quasi jam non sit. Nihil est futu-  
 rum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi est: non  
 est ibi fuit & erit. Et in Ps. 11. 7. *Hodie* praesen-  
 tiam significat, jam vero in aeternitate, nec perpe-  
 tuum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum  
 quasi nondum sit sed praesens tantum. Et Bruno  
 Herbipol. Dominus significat Patrem, Filius meus  
 es tu, ut in Evangelio hic est filius meus dilectus di-  
 cendo autem hodie coaeternitatem suae majestatis o-  
 stendit. Genui te illam nativitatem significat, de qua  
 dicitur: generationem ejus quis enarrabit. In Ca-  
 tena Gr. Patr. legitur τὸ δὲ σήμερον ἐπὶ μὲν τῶν  
 ἀνθρωπίνων πραγμάτων τὸν ἐνεσῶν ταμηνύει χρό-  
 νον (αἰτ' ὁ παρ' ἡμῖν ἐνεσῶς τῶν πρὸς πὶ ἐστ. Συμ-  
 σημαίνει γὰρ καὶ μέλλοντα, καὶ παρελθόντα) ἐπὶ

δέγε τῷ θεῷ, ἔνθα χρόνῳ ἔ θεῷ ρεῖται, συναίρην-  
ται, καὶ αἱ τρεῖς σημασίαι τῷ ἐνεσῶτος, καὶ μέλλον-  
τος, καὶ παρεληλυθότος φημι σημαίνει ἔν ἐπ' αὐτῷ  
τὸ σήμερον τὸ ἅμα καὶ τὸ συναίδιον, καὶ τὸ παντε-  
λῶς ἀδιάζευκτον. *Illud vero hodie in humanis qui-  
dem rebus tempus praesens insinuat (tempus autem  
praesens apud nos est ad aliquid : Connotat enim si-  
mul Ἔ futurum Ἔ praeteritum) veruntamen in Deo,  
ubi tempus non consideratur, simul etiam accipiun-  
tur tres istae notiones praesentis inquam, praeteriti  
Ἔ futuri. Hodie itaque in ipso significat simul Ἔ  
perpetuitatem & omnimodam in se parabili-  
tatem.*

§. VII. Observandum praeterea Hebraeos  
nomine aeternitatis proprio destitutos, nomi-  
nibus certum tempus denotantibus illam  
ipsam aeternitatem paraphrastice describere.  
Sic aeternitas denotatur per dies & annos qui  
Deo tribuuntur Job. 10. 5. 36. 26. Ps. 90. 4. Ἔc.  
Vide *Glassium Rhet. Sacr. p. 152. & Grawer.  
Quaest. Illustr. d. 2. Quaest.*, & Deus ἰμὴν ἰμὴν  
permanens dierum dicitur Dan. 7. 9. Ipsi quoque  
Hebraeorum magistri aeternitatem ita descri-  
bunt. *Rabbi Albo L. II. c. 18. Ikkarim*, definit  
aeternitatem quod sit tractus vel duratio immen-  
surabilis, quae intelligitur existere perpetuo, sive an-  
te mundi creationem, sive post interitum ejus, sed  
ita ut in illa duratione nulla sit vicissitudo quae de-  
prehenditur ex motu caeli. Et *Rabbi Moses Mai-  
monides L. II. More cap. 13.* aeternitatem quae  
sit infinita duratio vocat *ימי מומו* similitudinem  
tem-

temporis vel tempus imaginarium. Saniores Gen-  
tilium Philosophi viderunt etiam æternitati  
proprie τὸ Ἡodie aut τὸ Ἐστ quadrare. Plutarchus  
de τῷ εἶ apud Delphos p. 393. ἀλλ' ἐστὶν ὁ θεὸς,  
χρὴ Φάναι, καὶ ἔστι κατ' ἐδένα χρόνον, ἀλλὰ κατὰ  
τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον, καὶ ἄχρονον, καὶ ἀνέγκλι-  
τον καὶ ἔπρότερον ἔδεν εἶναι, ἔδ' ὄσερον, ἔδ' νεώτερον,  
ἀλλ' εἰς ὧν ἐνὶ τῷ νῦν τὸ αἰεὶ πεπλήρωκε. Καὶ μόνον  
ἐστὶ τὸ κατὰ τῆς ὄντως ὄν, ἐγεγονός ἔδ' ἐσόμενον,  
ἔδ' ἀρξάμενον, ἔδ' ἐπανσομενον, ἔτ' αὐτὸ δ' εἰ σε-  
σομένως καὶ προσεθίζεν Δία. Deus autem si ita di-  
cendum sit Est Ἐστ nulla ratione temporis, sed æter-  
nitatis immobilis, tempore Ἐσ inclinatione carentis,  
In qua nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum,  
nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius,  
sed una cum sit, unico nunc sempiternam implet du-  
rationem, Ἐσ huius ratione quod esse dicitur vere  
est, non futurum, non præteritum neque ortum ne-  
que desitutum. Similiter Plato in Timæo. p. 529.  
Καὶ τὸτ' ἦν, τὸτ' εἶσαι χρόνος γεγονότ' εἶδη, φέρον-  
τες λαμβάνομεν ἐπὶ τὴν αἰδίον εἰσὶν ἐκ ὁρθῶς. Λέ-  
γομεν γὰρ δὴ, ὡς ἦν, ἔστι τε καὶ εἶσαι τῆ δὲ τὸ ἔστι  
μόνον, κατὰ τὴν ἀληθῆ λόγον, προσήκει. Τὸ δὲ ἦν,  
τὸ δὲ εἶσαι περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰῶσαν πᾶσι λέ-  
γεσθαι. Κινήσεις γὰρ εἶσόν. Τὸ δὲ αἰεὶ κατὰ ταῦ-  
τα ἔχον ἀκινήτως, ἔδ' ἐπρεσβύτερον, ἔδ' ἐνεώτερον  
προσήκει γίνεσθαι ποτὲ, ἔδ' ἐγεγονέναι νῦν, ἔδ' ἐί-  
σαῦθις εἶσεσθαι. Erat Ἐσ erit que nati temporis  
species sunt, non recte æterna substantia assignamus.  
Dicemus enim de illa, Est, Erat, Erit, sed illi revera  
solam Esse competit. Fuisse enim Ἐσ fore deinceps  
ad

ad generationem tempore procedentem referre debemus : motus enim quidam duo illi sunt. *Æterna autem substantia, cum eadem semper & immobilis perseveret, neque senior se ipsa sit unquam, neque junior, neque fuit hactenus, neque erit in posterum.* Similia legas apud Plotinum *Enn. III. 725.*

§. VIII. Contra secundam rationem observo verbum גנתי licet nonnunquam significet *producere in lucem edere, fieri, manifestare &c.* ex usu tamen Scripturæ notare *proprie Genuit,* & non tantum de mulieribus parientibus verum etiam de viris generantibus usurpari *Gen. 4. 18. 10: 8. Zach. 13: 3.* uti fatentur quoque viri doctissimi qui huic verbo significatum *manifestandi* tribuunt. Sensu autem *gignendi* hic sumi debere גנתי (quicquid etiam neget *Lipmannus*) evidens est ex eo quod antecedit גנתי, & nulla improprietatis addita sit nota. Ad tertiam denique rationem probe notari velim in triplici Pauli citatione verba *hodie genui te* non pertinere ad factum quo declaratus est filius, sed ad modum filiationis ipsius. Etiam si enim cum eruditissimis viris existimem in tribus citatis a Paulo locis in nui divinæ in filio naturæ per æternam generationem, *agnitionem, prædicationem & declarationem publicam,* non putem tamen eam fundari in verbis *Ego hodie genui te,* sed in alloquio Patris ad filium *Jehova ad me dixit, Tu filius meus, Ego hodie genui te in Ps. II. 7.* quod non tantum  
vide-

videtur dicere æternam filii deitatem per generationem a patre, verum etiam ejusdem declarationem, & manifestationem publicam in tempore, quare oporteat eum tamquam mediatorem in carnem mitti, ex mortuis resuscitari, & ad dextram patris exaltari. Hic sensus optime convenit Psalmi hujus contextui ubi agitur de filio Dei incarnato & exaltato, qui enarraret ad statutum; *Jehova dixit ad me filius meus tu, ego hodie genui te*, cui danda esset hæreditas, cujusque hostes vastandi prorsus. Vide celeberrimum *Marckium Exercit. exeget. Exerc. XV.*

*Obs. II. ad Eph. IV. 3.*

§. IX. Cum Apostolus memorat *Συνδεσµὸν τῆς εἰρήνης* existimem *συνδεσµὸν* idem notare quod *εἰρήνη*, nisi quod sit vox generalior, nec dubium esse quin Apostolus hic respexerit originem vocis *εἰρήνης*: Est enim ab *εἶρω* *necto conjungo, copulo*. Vulgo lexicographi dicunt *εἰρήνη* esse *παρὰ τὸ εἶρειν εἰς ἓν*, quam si veram putant esse etymologiam egregie falluntur. Est enim *ῆνη* cui inesset *τὸ ἓν* communis terminatio multorum vocabulorum, ex qua non licet *ἐτυμολογεῖν*, quia in omnibus vocibus in *ῆνη* finitis minime succedit, ut e.g. *σελήνη, γαλήνη ὑπήνη* &c. si quis ergo hanc etymologiam vocis *εἰρήνης* voluerit illustrare ex v. 15. *Cap. 2.* nã ille magnas nugas egerit. Probe enim observanda est in derivatione vocum hæc regula.

gula. Ex extensione seu terminatione vocum, quae pluribus aliis est communis non esse repetendam originem. E. G. *mentum* est terminatio multis latinis vocibus communis quam imperitus quis posset suspicari esse a *mente*, quia testamentum revera est testatio mentis: Sed si in aliis periculum feceris, frustra fueris: nec enim calceamentum est calceatio mentis, excrementum excretio mentis &c. Hinc Vir Clarissimus L. Bos. *diss. de etym. Graec. p. 910.* merito inter errores lexicographorum refert quod simplicibus vocabulis originem tribuerint compositam, *innumera sunt*, inquit vir doctiss. *hujusmodi vocabula, quorum terminatio eos fefellit, existimantes composita esse quae reapse sunt simplicia, & posteriorem vocis partem ex alio verbo ducentes, quae tamen nil nisi cauda ejus est & productio.* Quod multorum vocabulorum exemplis in sequentibus probat. Miror vero eruditissimum virum in eorum numerum vocem *εἰρήνη* etiam non retulisse. Sed illuc quo digressus fueram revertor. Notat itaque *εἰρήνη* vinculum. Recte sane & convenientissime rei significatae: Nam *pax* nihil aliud est quam *animorum antea inimicitia disjunctorum amica conjunctio*. Perpulcre hoc pacis vinculum Veteres depinxerunt emblemate caducei. Erat *κηρύκειον* *caduceum* vel *caduceus* lignum seu baculus rectus habens duos angues caudis sibi implicitos, & quasi amice osculabundos ora sibi obvertentes. Hoc symbolo pax adumbr-

bra-

brabatur, per quam duo ante velut angues  
 venenati contra sese venenum suum evomen-  
 tes, animis conjuncti, mutuo sese amplectan-  
 tur, & ora jungunt. *Plinius. L. 29. C. 3. Hic ta-  
 men complexus anguium & efferatorum concordia,  
 causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in  
 pacis argumentis circumdata effigie fecerunt: neque  
 cristatos esse in caduceo mos est.* Tale caduceum  
 gestabant oratores vel legati, eratque ita si-  
 gnum legationis ut primario esset signum pa-  
 cis oblatæ iis ad quos ablegabantur. De hujus-  
 modi caduceo vide *Jul. Hyginum de signis cœlesti-  
 bus L. 2. C. 8. Macrob. L. 1. Saturn. C. 19. Pier. Val.  
 L. 15. Fabrum in lexico vocabulo Caduceum.*  
 Sed & præterea observo Mercurium tam-  
 quam ineundæ pacis mirum artificem pingi  
 nonnunquam catenulis aureis, quibus audi-  
 entium mentes devinciret, ex ore defluentibus;  
 non mortales solum sed immortales etiam,  
 superos & inferos, si quando dissiderent,  
 ad concordiam revocans. Non mirum ergo  
 pacem a Paulo *συνδεσµόν* vinculum dici.  
 Sed & in mentem venit pacem heic  
 considerari instar fibiæ vel fasciæ quæ ami-  
 ctum reliquum omnem constringat & conti-  
 neat. Sic Athenienses pro Caduceo, habe-  
 bant erefionem cum indumento. Erefione  
*ειρεσιώνη* autem est ramus oleæ lana obvolutus,  
 arborum fructibus, quæ Acrodia vocant cir-  
 cumpendentibus, qui ante januas ædium su-  
 spendi solebat in honorem Apollinis ad ar-  
 cen-

cendam famem ex oraculi præcepto. Qua de re, vide sis Pfeiferum Antiqu. Gr. p. 544. sequ. Alex. ab Al. Gen. dier. L.V. p. 35. & ibi notas. Plura jam non addo, si quidem in commentario meo ad Pauli Epistolam ad Ephesios (in quo exornando jam totus sum, & quem, si Deus vitam viresque largiatur propediem publicæ luci dare decrevi) de hisce paulo latius differendi opportunior erit locus.

*Obs. III. ad Eph. IV. 10.*

§. X. Cum Christus adscendisse dicitur *ὑπερῶν πάντων τῶν ἐξουῶν* nulla necessitas videtur cogere, quare hic literam non sequamur, & intelligamus omnes tres cælos. Hic autem notamus vel concedi nobis postulamus omnes tres cælos esse vera loca suis distincta terminis, certe qui ita concipiuntur: nam quocumque Christi corpus pervenerit, verum locum occupare necesse est. Deinde notandæ hic sunt tres phrasæ *Pertransire cælos, altiore fieri cælis* Heb. 4, 14. Heb. VII. 26. & *ascendere longe supra omnes cælos*, altera alteram explicat. In duabus prioribus haud dubie alluditur ad summum pontificem die expiationis pertransientem, primo fines & totum atrium Israelitarum, dein sanctum, & denique fines vel terminos Sancti Sanctorum, Vide Cl. Braunium *select. Sacr. L. II. C. IV. §. L. LI.* Posterior per duas priores debet explicari, vel potius duæ posteriores per priorem.

Pon-

Pontifex cum duas priores templi partes pertransisset, tertiam intrabat, ibique subsistebat. Nec enim aut scripturæ aut historiæ veritas patitur, ut pari modo Sanctum Sanctorum pertransiverit, atque duas priores partes: nam sic Sanctuario per posticam fuisset egressus, unde patet hunc transitum intelligendum, de transitu finium cujusque partis, non autem totius spatii. Jam vero Pontifex stans coram arca in Sancto Sanctorum *altior* erat & *adscenderat*, primo solo Sancti Sanctorum quod pedibus suis calcabat, deinde duabus prioribus partibus. Sic etiam Christus summus noster Pontifex transivit fines omnium cœlorum & in tertio substitit, & altior factus est omnibus *his* cœlis, videns sub pedibus nubes & sidera, ut *Virgilius* alicubi. Nec occurri potest Christum adscendisse ὑπερῶν πάντων τῶν ἑσπερίων, nam uti dictum est, hoc non potest eo modo intelligi de summo cœlo, quo de duobus inferioribus; quia Christus totum ejus spatium emensus & extimos fines, non in tertium, sed in quartum vel quintum cœlum pervenisset. Τὸ ὑπερῶν igitur vel hic emphasi caret, vel respectu cœlorum adspectabilium intelligendum est. Ut hæc res concipiatur clarius, concipiendum est cœlum ut amplissima quædam domus regia cum tribus ὑπερώοις, quorum alterum altero altius assurgit. Secundum primo, tertium secundo. Duo inferiora cœnacula sunt quasi atria regii palatii, cœlum aëreum sc. &

astriferum ; summum vero cœlum est ipsa  
 regia ubi Dei Thronus &c. Non potuit Dei  
 filius in tertium cœlum pervenire nisi fines  
 hujus cœli transisset, quoniam si non transis-  
 set hæssisset in secundo. Finge domum cum  
 tribus contignationibus : qui in tertia & sum-  
 ma contignatione est, nonne ille debet ter-  
 tiam contignationem penetrare ? nonne il-  
 le adscendit supra omnes contignationes ?  
 Nonne omnibus contignationibus altior est,  
 quam tertiam etiam videat sub pedibus ejus ?  
 Nolo interim negare tres illas phrasas quibus  
 Christus dicitur adscendisse ὑπερῶν πάντων τῶν  
 ἑρηνῶν, & ὑψηλότερον τῶν ἑρηνῶν χινομένον uti  
 & διεληλυθώς τὰς ἑρηνὰς notare insuper glorio-  
 sissimum Christi θεανθρώπου statum quo quam  
 longissime supra omnes cœlos eorumque in-  
 colas evectus est. Confer. Cl. Braunium select.  
 Sacr. L. III. C. IV. §. LII. Gurtlerum de Jesu Chri-  
 sti gloria apud Patrem in cœlis §. 139. 140. Honerti-  
 um in comment. ad Heb. VII. 26. Lampe Exercit. III.  
 ad Ps. XLV. p. 131.

Obs. IV. ad Eph. VI. 21.

§. XI. Nostri Interpretes Belgæ verba π  
 πράσσω vertunt *wat ik doe*. Nec male nam  
 τὸ πρᾶττειν apud sacros & prophanos auctores  
 etiam notat *Facere agere contendere & laborare*  
 ut aliquid fiat ut *Budeus Comment. L. G. p. 163.*  
*Rom. 7: 19. Act. 5: 35. 1. Thess. 4: 11.* Et sic apud  
 Pla-

Platonem legitur τὰ δέοντα πράττειν & ὀρθῶς πράττειν. Et per τὸ εὖ πράττειν vis bene agendi aliquando denotatur apud Xenophontem de Socrate Memorabilium L. III. Καὶ αἰεὶς δὲ καὶ θεοφιλεστάτος ἔφη εἶναι ἐν μὲν γεωργίᾳ ἴσος τὰ γεωργικὰ εὖ πράττειν, ἐν τῇ ἰατρικῇ ἴσος τὰ ἰατρικὰ, ἐν δὲ πολιτείᾳ ἴσος τὰ πολιτικὰ. Τὸν δὲ μηδὲν εὖ, πράττοντα ἔτε χεῖριστον ἔφη εἶναι ἔτε θεοφιλή. Et apud Arrianum opponitur εὖ πράττειν & κακῶς ἀκτεῖν. Forte etiam notio bene agendi obtinet in Antisthenis dicto βασιλικὸν πράττειν μὲν εὖ κακῶς δὲ ἀκτεῖν apud Epict. L. 4. c. 6. Laërt. L. 6. c. 3. Marc. Ant. L. 7. §. 36. quod verti potest commode. Regium est bene agere, male autem audire.

§. XII. Sed & πράττω multo latius patet & notat etiam statum & conditionem vitæ. Bene præstantissimus Budæus Comm. L. G. p. 163. πράττω etiam absolute positum significat vivo, ago, sorte aliqua utor, quod ex Aeschine & Isocrate probat. Hinc εὖ πράττειν bene valere dicebant veteres græci cum se salutabant. Sic dicitur quidam accessisse ad Gorgiam Leontinum in extremo vitæ positum, & bene senio confectum, adversa valetudine correptum, quærens τὶ πράττοι, quid ageret, quomodo se haberet, Aelian V. H. L. II. C. XXXV. ubi vide notas Cl. Perizonii. Sic Latini quoque usurpant agere, nam post datam acceptamque salutem, solennis formula erat: Quid agis? vel Satin' recte? sc' sese res tuæ habent. Hoc sensu hic verti potest. Hoe 't mygaat, hoe 't met my staat.

§. XIII. Laborant Interpretes quorsum spectet illud ἐν ἀφθαρσία. Ego missis aliorum sententiis retulerim illud ad Dominum Jesum Christum, ut τὸ ἐν ἀφθαρσία significet Statum ejus gloriosum nulli φθορᾷ corruptioni vel morti amplius obnoxium. Certe idem Paulus τὸ ἐν ἀφθαρσία retulit ad statum corporum incorruptibilem & immortalem post resurrectionem 1. Cor. 15, 42. 50, 22. repertens in sequentibus aliquoties vocem ἀφθαρσίαν explicatque per ἀθανασίαν. Paulus 1. Cor. 16, 22. pronuntiat τὸ ἀνάθεμα ἔστωσαν hoc est per μείωσιν odio habentibus Dominum Jesum Christum per quos haud dubie intelligendi blasphemi Judæi qui Jesum Nazarenum plusquam Vatiniano odio prosequerentur. Præcipua odii causa erat quod Jesum ut reliquos crederent φθαρτὸν ἄνθρωπον nec a mortuis resurrexisse unde & salvator in Evangelio & Apostoli in Actis & passim in Epistolis resurrectionem Jesu ex mortuis tamquam unicum fundamentum religionis Christianæ tam operose inculcant. His videtur Apostolus opposuisse vere ἀγαπῶντας τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν idque ἐν ἀφθαρσία, hoc est in vel cum in corruptibilitate in statu gloriosissimo & immortali, mortuum quidem pro peccatis nostris sed suscitatum ad gloriam & æternam vitam &c.

## Obs. VI. ad Phil. I. 21.

§. XIV. Si cum interpretibus quibusdam doctissimis verba ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν χρεῖσός, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος interpretemur: *Nam Christus mihi lucrum est in vita & morte*, sensus hic erit elegantissimus, Apostolum nullam aliam mercedem expetere vel vivendo vel moriendo quam ut Christo serviret, illud ipsum servitium fore sibi pulcherrimam mercedem, factum ipsum facti mercedem. *Est enim ipsa quidem virtus sibi met pulcherrima merces* ut bene Silius, & *virtus premium est optimum* ut Plautus. *Est virtutis in palmae vertice status*, habet sibi sufficientem ad omnia opulentiam. Palma enim tot habet utilitates quot sunt in anno luces. Epictetus L. 3. C. 24. Σὺ δὲ ζῆσις ἐπαθλον, ἀνδρὶ ἀγαθῷ μείζον τῆ καλὰ καὶ δίκαια πράττειν. Tu vero viro bono majus premium quæris honestis & justis actionibus. Marcus quoque Antoninus L. IX. §. 24. vult eum qui dat omnem fructum donationis collocare in eo ipso quod dederit & posuerit. Vide ibi cruditas Cl. Gatakeri notas & adde L. 8. §. 2.

## Obs. VII. ad Phil. III. 20.

§. XV. Præstantissimum privilegium fidelium N. T. hisce verbis describit Apostolus Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. Quibus existimat Cl. Scultetus in orat: utr. Th. ext. disc. & scr. prof. in subsidium advocare liceat Paulam utroque oculo respexisse ad Heracliti Ephe-

sui verba illa πολιτεύσομαι ἐκ ἐν ἀνθρώποις ἀλλ' ἐν  
 θεοῖς. Videtur mihi τὸ πολίτευμα significare,  
 Civitatem, Rempublicam jus civitatis & civilem  
 conversationem, uti observatum dudum est ab  
 eruditissimis viris, speciatim Heinsio Exercit.  
 Sacr. & Raphaelio Annot. Phil. in N. T. ex Polybio  
 & Ariano collectis, Nylöe in Selectis Sacris, atque  
 alluisse Apostolus non tantum ad Israelitas in  
 terra Cananæa & inferiori Hierosolyma de-  
 gentes qui omnes erant cives urbis Hieroso-  
 lymæ, & Zionis, τῆς ἀνω πόλεως apud Jose-  
 phum dictæ, & qui gaudebant iisdem juribus  
 & privilegiis, legibus certis & per voluntatem  
 Dei definitis secundum quas vitam debe-  
 bant instituere; verum etiam ad Romæ illud  
 δίκαιον quo communis erat Patria omnium in  
 orbe Romano degentium, ut ita quamquam ali-  
 unde orti haud minus cives Romani censerentur,  
 & omnes civitates consuetudinem Romæ  
 sequi deberent & leges. Docet hoc Julianus Im-  
 perator Orat. i. p. m. 5. Ὁ μὲν ἐν τῶν ἐπαίνων νόμῳ  
 εἰδὲν ἐλάττον τῆς πατρίδος ἢ τῶν προγόνων ἀξίως  
 μεμνήσθαι. ἐγὼ δὲ ἐκ οἶδα τίνα χρὴ πρῶτον ὑπολα-  
 βεῖν πατρίδα σὴν ἔθνη γὰρ μυρία περὶ ταύτης ἀμ-  
 Φισσηεὶ πολὺν ἤδη χρόνον. Καὶ ἡ μὲν βασιλεύσασα  
 τῶν ἀπαιτῶν πόλις μήτηρ εἶσε σὴ, καὶ θεοφῶς, καὶ  
 τὴν βασιλείαν σοι μετὰ τῆς ἀγαθῆς τύχης παρεσχῆ-  
 σα, ἐξαίρετον αὐτῆς φησὶν εἶναι τὸ γέρας, ἃ τοῖς κοινοῖς  
 ἐφ' ἀπάντων τῶν αὐτοκρατόρων δικαίως χρωμένῃ  
 λέγω δὲ ὅτι καὶ ἀλλοχόθεν τυγχάνουσι τῶ μετέχειν  
 ἀπανταῖς ἤδη τῷ πολιτεύματι, καὶ τοῖς ἐκείθεν ἡμῶν

καταδειχθεῖσιν ἔθεσι, καὶ νόμοις χρῆσθαι, πολιταί  
 γέγονασιν. *Ac laudandi quidem leges ac regulae  
 patriae non minus quam majorum fieri mentionem  
 praecipunt. Ego vero nescio quamnam praeceteris  
 appellari patriam tuam oporteat. Etenim innu-  
 merae nationes jam pridem id sibi nomen ac decus  
 adscribunt. Nam quae ceterarum principatum at-  
 que imperium tenet civitas, cum mater tua sit ac  
 nutrix, tibi que felicibus auspiciis imperium detule-  
 rit, eum sibi honorem, tamquam jure suo debitum  
 ac praecipuum defendit. Nec ea tantum adfert ad  
 causam suam, quae in ceteris imperatoribus usurpa-  
 re solet: puta etsi aliunde orti sint, tamen quod  
 omnes ejusmodi ad civitatem & rempublicam ad-  
 scripti sunt, quodque editis illinc moribus ac legibus  
 utantur, pro civibus suis habendos. Vide ibi Illu-  
 stris Spanhemii notas doctissimas: Nec mirum  
 videri debet alludere Paulum hic loci ad il-  
 lud Romae δίκαιον cum ipse se civem Roma-  
 num dicit Act. 22, 28.*

§. XVI. Cæterum observari meretur Sanio-  
 res Gentiles agnovisse etiam cælum esse civita-  
 tem & patriam nostram cujus cives homines  
 sint. *Clemens Alexandrinus Strom. L. 4. p. 545.  
 λέγουσι γὰρ οἱ Στωϊκοί, τὸν μὲν ἕρμην κυρίως πόλιν  
 τὰς δὲ ἐπὶ γῆς ἐνθάυθα ἕκ ἐπὶ πόλεις λέγεσθαι μὲν  
 γὰρ ἕκ εἶναι δὲ dicunt enim stoici quoque cælum  
 quidem proprie esse civitatem, quae autem hic in  
 terra sunt non esse civitates dici enim sed non esse.  
 Marcus Antoninus L. 3. §. 11. hominem vocat  
 πολίτην ὄντα πόλεως τῆς ἀνωτάτης, ἧς λοιποὶ πό-*

λεις ὡς περ δικταί εισίν hominem qui civem agit ci-  
 vitatis supremæ illius cujus reliquæ civitates istæ qua-  
 si familiæ existunt. Et præclare admodum L.  
 IO. §. I. ὅση ποτὲ ἄρα τοιαύτη διαθεοῖς τε καὶ ἀν-  
 θρώποις ἔτω συμπολιτεύεσθαι ὡς μήτε μέμφεισθαι πὶ  
 αὐτοῖς, μήτε καταγινώσκεισθαι ὑπ' αὐτῶν. *Ecquan-  
 do ita afflata futura es (o anima!) quo cum diis  
 hominibusque ita verseris ut nec eos quicquam in-  
 firmules, neque ab eis ipse condemneris? vide ibi  
 doctas Gatakeri notas & confer L. 4. §. 3. L. 5.  
 §. 22. L. 6. §. 44. L. IO. §. 6. ut mittam jam  
 Anaxagoræ Plotini aliorumque hanc in rem  
 egregia testimonia quæ legi possunt apud do-  
 ctiss. Pfannerum Syst. Th. Gent. Pur. p. 482.*

*Observ. VIII. ad 2. Timoth. IV, 6.*

§. XVII. Quæritur inter Eruditos quomo-  
 do vox ἀνάλυσις vertenda sit in verbis Pauli  
 ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφείσηκε. Nonnulli red-  
 dunt per *dissolutionem*, *solutionem*, alii *missionem*,  
 alii vero *migrationem*, *discessum* *reditum*. Ego ve-  
 ro existimo vocem ἀναλύσεως optime hic reddi  
 & per *dissolutionem* aut *solutionem*, & per *discessum*.  
 Prima notio est (α) propriiissima, nam ἀνάλυσις  
 derivatur ab ἀναλύειν quod proprie in genere  
 notat solvere aliquid quod prius ligatum fuerat  
 (β) optime convenit cum proxime anteceden-  
 tibus ubi Paulus dixerat ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι,  
*jamjam immolor* sc. tamquam victima quæ ante-  
 quam immolaretur libatione adspergi sole-  
 bat

bat uti σπένδεσθαι Hesychio & Suida idem est quod θυσιάζεσθαι, & quæ alligata erat cornibus vel annulis altaris quorum vinculorum solutio fiebat cum maclabatur & excoriabatur (γ)ἀναλυσις sumitur de solutione animæ a corpore ab Apolline Milesio

Ψυχὴ μὲν μέγχι ἔδεσμοῖς πρὸς σῶμα κελεῖται,  
 Φθαρτὰ νῆσα πάθη, θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἶκει,  
 Ἦνίκα δ' ΑΝΑΛΥΣΙΝ βροτέην μετὰ σῶμα  
 μάρασθεν,  
 Ἐυκίστην ἔυρηται, ἐς αἰθέρα πάζα φορεῖται,  
 Ἄϊεν ἀγήρα· ἔσα μένει δ' εἰς πάμπαν ἀπείρησι  
 Πρωτόγον· γὰρ τῷ θεῷ δ' ἔταξε πρόνοια.

*Anima quidem quam diu vinculis corporeis tenetur*

*Caducas meditando passiones mortalibus doloribus cedit.*

*Cum vero SOLUTIONEM mortalem corpore arefacto*

*Levissimam invenerit per aethera tota fertur  
 Nunquam senescens, manetque omnino illæsa  
 Primogenita enim hoc Dei statuit providentis.*

(δ) Adde mortem quam innuit haud dubie Paulus optime dicere resolutionem aut solutionem, nō tantum quod corpus in cinerem resolvitur ε'αν καταλυσῆ corpus tamquam ἐπιγει· ἡμῶν οἰκία τῷ σκηνῶσι 2. Cor. 5, 1. σκηνῶμα 2. Pet. 1, 13. & γεῶδες σκῆμα Sap. 9, 15. σκεῦ· ἡδ 1. Sam. 24, 25. videlicet doctiss. Le Moine V. S. p. 629. &

ἐγγεῖον penes Marc. Ant. L. 3. C. 3. *Vas animi*  
 apud Ciceronem L. 1. Tusc. testa apud Epictet. L. 1.  
 C. 2. *Follis* ἢ *folliculus* apud Tertull. Apol. p. 430.  
 sed etiam & præcipue quidem quod per mor-  
 tem solvitur vinculum quo anima corpori  
 fuit alligata. Plato dicit animam esse διαδεμένην  
 ἐν τῷ σώματι, καὶ προσκεκολλημένην ἀναγκαζομέ-  
 νην δ' ὡς περ δ' ἐγγυῶν animam corpori alligatam ἢ  
 agglutinatam, in eo quasi in ergastulo vinctam ἢ capti-  
 vam degere. Hanc alligationem Marcus Antoninus  
 dixit ἐνδησιν ἡμῶν animæ in corpore innexionem.  
 Hinc Plato in Cratyl. p. 264. & Plutarchus L. de  
 Homero σῶμα dixerunt esse σῆμα & δέμας τῆς  
 ψυχῆς sepulchrum ἢ vinculum animæ. Fit au-  
 tem solutio istius vinculi per λύσιν καὶ χωρισμὸν  
 ψυχῆς ἀπὸ σώματος, quomodo Plato in phæd.  
 mortem describit, cum retinacula animæ  
 tanquam navis solvuntur rudentes. Dionysius  
 περὶ ὕψους. Ἡνίκα δὲ ἡ τελευτὴ παρεστῆ λύεσθαι φη-  
 σὶ τὰ τῆς ψυχῆς ὀιονεῖ νεῶς πείσματα, μεθεῖσθαι τε  
 αὐτὴν ἐλευθέραν ubi vitæ finis adfuerit solvi animæ  
 tanquam navis cujusdam retinacula, eamque libe-  
 ram dimitti. Sic vitam nostram navigationi &  
 mortem Portui confert Plutarchus de tranquill.  
 p. 476. ἐγγυῶν ὁ λυμὸν, καὶ πάρεσιν ἀπονήξασθαι τῷ  
 σώματι, ὡς περ ἐφολκίαι μὴ ἐγγοντ. In propin-  
 quo est portus, licetque enatare e corpore tanquam  
 scapha aquam admittente. M. Ant. L. 3. §. 3. ἐνέβης,  
 ἐπλευσας, καλήχθης. ἐκβηπ. Navem conscendisti,  
 navigasti, appulisti, egredere.

§. XVIII. Hoc sensu τὸ ἀναλύσαι Phil. 1, 23.  
 com-

commodè quantum ad rem ipsam, vertitura  
*vulgato* & qui eum sequuntur *dissolvi*, & a Bel-  
 gis interpretibus *ontbonden worden*. Non igno-  
 ro viros clarissimos & eruditissimos *Erasmum*  
 ad *h. l.* & *Scultetum Exercit. Evangel. 64.* aliosq;  
 opponere. (A) Non dici ἀναλύεσθαι passive  
 sed ἀναλύσαι active. (B) διαλύσιν vel κατὰλυ-  
 σιν potius dissolutionem animæ a corpore in-  
 nuere. (C) Id quod primo & per se viri san-  
 cti cupiunt, non esse animæ a corpore sepa-  
 rationem quam horrent. Verum rationes il-  
 las non esse admodum graves & solidas liqui-  
 dum erit si observemus contra primam τὸ  
 ἀναλύσαι hic passive sumi posse pro ἀναλύεσθαι.  
 Nam activa verba quandoque passivorum signifi-  
 cationem adsumant peculiari linguæ Hebrææ idiotismo,  
 idque in verbis activis tertiæ personæ, sine nomina-  
 tivo expresso & in verbis activis quibusdam infini-  
 tivi modi, ut doctiss. *Glasius* observat *L. 1. Tract.*  
*3. de verbo Can. 23.* additque quosdam huc et-  
 iam referre *Phil. 1, 23.* Quem ego canonem  
 a nemine enervatum hæcenus vidi. Secun-  
 da ratio etiam infirma est siquidem jam pro-  
 bavi ἀνάλυσιν etiam dici de solutione animæ  
 a corpore. Ad tertiam verò rationem respon-  
 deo viros sanctos etiam si per se non cupiant  
 separationem animæ a corpore, quoniam  
 mors est φοβερώων φοβερώτατον secundum *Ari-*  
*stotelem Eth. L. 3.* & *Rex terrorum Job. 18, 14.* &  
 τὸ γὰρ ἀναίσθητὸν τὸ λυθὲν, καὶ μηδὲν εἶναι πρὸς  
 ἡμᾶς τὸ ἀναίσθητὸν, ἔκ ἀναίρει τὸ τῆ θανάτου θεός,  
 αὐτῶν

αὐτὸ ὡς περ ἀπόδειξις αὐτῆς προσήκουσιν. αὐτὸ γὰρ  
 τὸ οὐδέδοικεν ἢ φούσιν, non sentire dissolu-  
 tionem, & id quod cassum est nihil ad  
 nos pertinere, non tollit mortis metum, sed qua-  
 si demonstrationem ejus adjicit, a quo sibi natura  
 metuit, ut verissime Plutarchus adv. Epic. p. 1105.  
 tamen cupiunt & expetunt solutionem animæ  
 beatam a corpore mortis & peccati quod vi-  
 tiosæ menti concupiscendi ansam præbet &  
 mentis concupiscentiam fovet, & per cujus  
 præcipuam quandam partem crassissima con-  
 cupiscentiæ species expletur Ezech. XI, 19. XVI,  
 20. quare etiam dicitur σῶμα ταπεινώσεως Phil.  
 3, 23. quod optime vertitur corpus humilians sc.  
 animam. Nam ut bene Salomo L. Sap. 9, 15.  
 Corpus mortale aggravat animam & deprimat  
 terrena habitatio. Hinc illa Pauli querela Rom.  
 7, 14. 2. Cor. 5, 4. Hinc Virgilius vitia corporeas  
 pestes nominat & exclamat,

- - Quantum non noxia corpora tardant,  
 Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Quare a Gentilibus corpus dicitur αἶδος &  
 αἶχος in Anth. L. 1, 37. Et hinc quorundam  
 querulæ voces apud Epictetum Diss. L. 1. C. 9.  
 Stobæum Tom. 2. tit. 119. & Plutarchum aliosque.  
 Unde etiam philosophiæ Pythagoricæ scopus  
 erat animam solvere ab impedimentis & vin-  
 culis corporeis uti liquet ex Porphyry. de vit. Pyth.  
 Num. 46. Jamblich. de Vit. Pyth. C. 32. Quocir-  
 ca etiam mortuos prædicabant beatos quod li-  
 bera-

berati sint servitute corporis tanquã carceris. Vide *Plutarch. ad Apollon. M. Anton. L. 3. §. 4.* Quare nonnulli *Elysium* locum in inferis voluptatibus deditum, dictũ volunt ἀπὸ τῆς λύσεως quod animæ piorum corporeis vinculis solutæ sint. Non inconueniens ergo est si dicatur Paulus cupere dissolutionem animæ a corpore tamquam sepulchro & carcere, immo tamquam corpore peccati & mortis, per quam solutionem cum Christo esset. Quomodo etiam fideles dicit expectare ἀπολύτῳσιν τῆ σῶματος *Rom. 8, 23.* & expetere ἐκδημῆσαι ἐκ τῆ σῶματος, καὶ ἐκδημῆσαι πρὸς τὸν οὐρανόν *2. Cor. 5, 6.*

§. XIX. Sed & ἀναλύσις hic optime redditur per migrationem discessum nam A. ἀναλύειν notat etiam discedere apud *Arrianum, Philostratum, & Aelianum V. H. C. 23. p. 355.* quorum loca ut brevitati consulam non produco. Rationem autem istius significationis ostendit *Cl. Perizonius* in notis ad locum *Aeliani* quod ἀναλύειν notat generatim solvere aliquid quod prius ligatum fuerat, & dein ex quocunque loco in quem venisti iterum abire, sive revertaris ad tua, seu alio abeas, quoniam qui discedit aliunde quo prius venerat solvit equum ut eo iterum avehatur &c. B. Migratio aut discessus animæ connexa est cum solutione a corpore. Solvitur enim anima ex corpore cum ex eo migrat & tamquam equus acer ex corrupto corpore prosilit *Porphyrus cap. 22.*

Νῦν δ' ὅτε δὴ δυνῆν ἔμην ἐλύσατο σῆμαδ' ἔλει-  
ψας,  
Ψυχῆς δαιμονίης, μεθ' ὁμῆ γυριν ἔρχεται ἤδη,  
ἔρετοῖσιν, ἀναπνεύσαν ἀήταις.

*At nunc ubi solutus involucro es & signum de-  
servisti,*

*Animæ genialis ad concilium contendis  
Geniale, quod amenis interspirat auris.*

*Philostratus L. 8. de Vit. Apoll. p. m. 371.*

Ἄθανάτος ψυχῆ κ' εἰς χρεῖμα σὸν ἀλλὰ προνοίης,  
Ἡμετὰ σῶμα μάρανθεν αἴτ' ἐκ δεσμῶν θεός ἐπ-  
πος,

ῥηιδίως προθορῶσα κεραίνυται ἤξει κύφω.  
Δεινὴν καὶ πολυλητὸν ἀποσέρξασα λατρείης.

*Est anima immortalis, non sua res sed provi-  
dentia,*

*Quæ ex corrupto corpore, ceu acer equus pro-  
filit,*

*Facile libera miscetur aëri tenui*

*Grave & intolerabile exosa servitium.*

Hac ratione ergo ἀναλύσις discessum & ἀναλύειν  
discedere significare etiam in locis Paulinis pot-  
est. Plura qui vult adeat Scultetum Exercit.  
Evangel. 46. Gatakerum de Styl. N. J. C. 7. Bosium  
ad Phil. 1, 23.

*Obs. IX. ad 1. Timoth. VI. 20.*

*§. XX. Videtur mihi Apostolus Timothe-  
um monens εἰς τὸ φυλάσσειν τὴν παρεκαταδύκη  
νομ*

non tam alludere ad *depositum*, bonorum' de  
 que multa Jcti, & de quo extat egregius lo-  
 cus qui plurimum etiam facit ad hujus illu-  
 strationem, apud Josephum L. 4. *Ant. Cap. Ult.*  
 παρακαθήκην δὲ ὡς περιερόν τι ἢ θεῖον χρημαδὶ παρα-  
 λαβῶν φυλακῆς ἀξίετω. καὶ μηδεὶς ἀποστερήσαι συνθείη  
 τῶν πεπιστευκότων μήτε ἀνὴρ μήτε γυνή. *depositum*  
*autem tamquam sacram aliquam aut divinam rem,*  
*custodia dignum judicet is qui accepit, & nemo ne-*  
*que vir neque mulier defraudare constituat eum qui*  
*concredidit, quam quidem ad depositum verbo-*  
*rum aut sermonum arcanorum, quorum in utroq;*  
*sit par servanda fides, de quo legitur apud Por-*  
*phyrium in Vit. Pyth. Num. 39. παρακαθήκην δὲ μὴ*  
*χρημάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ λόγων, πισῶς τῷ παρακα-*  
*θεμένῃ φυλάσσειν. Non solum pecuniarum, sed &*  
*sermonum depositum depositori bona fide servandum.*  
*Isocrates ad Demonicum p. m. 12. Μᾶλλον τίθει πᾶς*  
*τῶν λόγων ἢ τοῖς τῶν χρημάτων παρακαθήκας. δεῖ γάρ*  
*τὰς ἀγαθὰς ἀνδρας τρόπον ὄρεα πισότερον φαίνεσθαι*  
*πεπερηχομένους, diligentius tuere deposita verborum,*  
*quam nummorum. Nam boni viri est ita se gerere*  
*ut ejus integritas fide dignior, quam jus jurandum esse*  
*videatur. Alia loca vide apud doctiss. Ritters-*  
*husium in notis ad Porphyrii locum. Hæc al-*  
*lusio heic conveniens videtur rei significatæ,*  
*cum haud dubie Paulus per παρακαθήκην intel-*  
*ligit sanam evangelii doctrinam fidei Timo-*  
*thei concreditam.*

Obs.

Obs. X. ad Jacob. II. 20.

§. XXI. Caritatem ab Apostolo Jacobo νόμον βασιλικόν appellari crediderim quod suprema quædam lex sit, quæ tamquam vitæ modimperatrix leges aliis virtutibus imponit omnibus, iisque maxime prodest, ut adeo sit regina, regula & magistra omnium virtutum, a qua reliquæ omnes leges pendent. Sic βασιλικός sumi debet pro βασιλευπικός uti sumitur apud Xenoph. vide *Budæum Com. G. L. p. 138.* & sæpe etiam notat legitimum regem & distinguitur a τὴν ἐξένω & πολιτικῶ. Vide *Perizon. ad Aelian. p. 106.* Sane si *Chrysippus* legem dixit reginam divinarum humanarumque rerum, & *Pindarus* ὁ πνόμενός ὁ πάντων βασιλεύς sit apud *Plut. p. 296.* Si tam multa canunt poëtæ de amoris in omnia dominio, si præscriptum rectæ rationis & præcepta philosophorum canon, amussis & regula dicantur, si verbum veritatis est sceptrum regni Christi *Ps. 45. sceptrum roboris Dei Ps. 110, 3. &c.* quidni majori jure legem caritatis dicamus esse reginam & regulam secundum quam se totus orbis componere debet? Hinc maxima & præstantissima elogia caritati adscribuntur *1. Cor. 13. 1. Tim 1, 2. &c.* Sed non possum hunc Jacobi locum melius illustrare quam per *M. Ant L. IV. §. 12. Δύο ταύτας ἐτοιμότητας ἔχειν αἰεὶ δεῖ. τὴν μὲν πρὸς τὸ πράξαι μόνον ὅπερ ἂν ὁ τῆς βασιλικῆς καὶ νομοθετικῆς*

λόγῳ ὑποβάδην, ἐπ' ὠφελείᾳ ἀνθρώπων. Duo ista  
 in promptu tibi semper sunt habenda, alterum nihil  
 ut facias, nisi quod partis regere legemque dare ra-  
 tio suggesserit. Ubi Doctiss. Casaubonus existimat  
 necessario subaudiendam esse vocem λέχνη &  
 vertenda ut id tantum agat quod regia & legislati-  
 va artis ratio suggerat, docetq; ex Xenophonte  
 λέχνην βασιλικὴν esse prudentiam civilem quæ  
 benefacere & prodesse quam plurimis ut præ-  
 cipuum scopum fructumque sapientiæ sibi pro-  
 ponit, additque nec alio Sanctum quoque  
 Jacobum spectasse cum præceptum τῆς ἀγάπης  
 βασιλικὸν indicat. Sed & caritas dici potest  
 νόμῳ βασιλικὸς quia est immutabilis prorsus,  
 quales vocabantur leges regni uti notat  
 Jacchiades ad Dan. II, 13.

II.

FRID. AD. LAMPE,

de

ΤΩΙ ΒΑΒΑΤΓΜΑΤΙ ΤΗΣ ΕΡΗΜΩ-  
ΣΕΩΣ.

ad Matth. XXIV. 15.

DISSERTATIO.

SUMMARIUM.

§. 1. Propositum. 2. Matthæus respicit Dan. IX. 27.  
3. conferenda tamen & Dan. XI. 31. XII. 11. 4. In  
loco c. XI. 31. de Antiocho Epiphane agitur. 5. Triâ  
ad eum intelligendum ponuntur *κερτηρα*. 6. *Brac-*  
*chia* ex adverso *stantia* emblemata sunt Jasonis & Me-  
nelai civili bello secum invicem confligentium. 7.  
Ad eorundem impietatem integer locus applicatur.  
8. 9. Conferitur prophetia Dan. VIII. 13. 14. *שש* &  
*שש* synonyma. Vesperæ & matutina 2300. quo-  
modo computanda sint. 10. Quam apte criteria da-  
ta in hac exegefi colludant, indicatur. 11. Qui lo-  
cum ad tempora N. T. referunt eadem criteria admit-  
tere debent. 12. Locus Dan. XII. 11. non spectat ad  
afflictionem Epiphaneis. 13. Neque ad excidium per  
Romanos. 14. Sed ad tempora Antichristi. 15. U-  
bi evidentissime eadem criteria recurrunt. 16. Tran-  
situr ad locum Dan. IX. 27. & genuina ejus versio  
exhibetur. 17. Evidenter in eo *abominatio a vasta-*  
*tione*, ut peccatum a pœna, distinguitur. 18. Per

אלא *alam* templum debet intelligi. 19. 20. Diversæ hujus denominationis rationes afferuntur. 21. Alæ symbolum protectionis & præsidii. 22. Ipse Deus & symbolum præsentia ejus, columna nubis, sub alarum emblemate occurrit. 23. Schechinæ alæ tribuntur. 24. Loci scripturæ huc alludentes Ruth. II. 12. Pf. XVII. 8. XXXVI. 8. LXI. 5. XCI. 4. &c. 25. Figura nubis cum alis convenit. 26. Alæ Solis justitiæ Mal. IV. 2. 27. Gentiles Diis constanter alas appinxere. 28. Quid sit Jes. XVIII. 1. terra obumbrata alis. Κνεφ seu *Cnephis* insigne Ægyptiorum idolum. 29. Mysterium globi seu *ovi alati* apud Ægyptios. 30. Inventum hoc Ægyptiorum forte a columna nubis ortum est. 31. Concluditur per *alam* symbolum præsentia divinæ, ejusque receptaculum designari. Enallage numeri hic occurrens defenditur. 32. Quomodo tutamen Israelis sub templo secundo ala dici queat. 33. שְׂקוּצִים, idola; cur construatur hæc vox cum ala? 34. 35. Idololatria Judæorum sub templo secundo spiritualis. 36. אֵלָה & τόπος ἅγιος parallela sunt. Græca hæc phrasis constanter templum notat. 37. Salvator inter variæ abominationum genera certam quandam per Zelotas templi prophanationem innuit. 38. Occurritur objectioni, quod fuga, quam Salvator abominatione hac visa suadet, per furores Zelotarum difficilis sit reddita. 39. 40. Locus Luc. XXI. 20. cum nostra hypothese conciliatur.

I.

**C**um locus Matth. XXIV. 15. de βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως multis Interpretibus crux fuerit, libet occasione transmissæ nobis a Cl. OUTHOVIO dissertationis quam Classis hu-

jus fasciculo tertio inseruimus, tentare, an-  
 non certo aliquo fundamento innixam, cœ-  
 terisque eo nomine præferendam explanati-  
 onem, pace Virorum, a quibus modeste dis-  
 cedimus, invenire liceat. Ulla tamen in hoc  
 negotio versabimur ratione, ut missa senten-  
 tiarum contrariantium refutatione, quarum  
 eam, quæ maximam speciem præ se fert, Cl.  
 OUTHOVIUS defendendam suscepit, illam,  
 quam tutiorem existimamus, in majori sista-  
 mus luce, atque Lectori, utramque inter se  
 conferendi accuratius, præbeamus ansam.

II. Ad Danielelem ipse Servator noster pro-  
 vocat, neque dubitandum est, eopse illum  
 sensu phrasin hanc adhibuisse, quo apud Da-  
 nielem occurrit. Sed cum tria in hac pro-  
 phetia occurrant loca, ad quæ Jesus potuit al-  
 ludere, scilicet c. IX. 27. XI. 31. XII. 11. hinc  
 prima nascitur quæstio, an ad omnia, an ad  
 unum ex illis respexerit? Nobis autem nul-  
 lum heic est dubium, primum locum Salva-  
 torem proxime & primario intendisse. In  
 eo enim præcise de excidio Hierosolymita-  
 no per Romanos agitur, in reliquis non item.  
 Constans est interpretum ferme omnium sen-  
 tentia, c. XI. 31. Antiochi Epiphaniis desolati-  
 onem indigitari, quem tamen quidam non  
 tantum typice sed etiam antitypice, tanquam  
 in Antichristianismo redivivum, considerant.  
 Postremus vero c. XII. 11. locus ipse quoque  
 a plerisque ad Epiphaniem, aut saltem in an-  
 ti-

titypo ad Antichristianismum transfertur. Quas hypotheses cum veritati consonas esse statim doceamus, solus restat Dan. IX. 27. Et procul dubio hanc pericopam Dominus signata citatione eo magis dignam censuit, quia non suppetebat alius ex Prophetis locus, qui evidentius & Christi & universi populi Judaici exitum, & articulos temporis, in quibus tanti eventus expectandi, explicabat, atque adeo ad motas a discipulis quaestiones directe respondebat. Gratis quoque dici, Jesum ad Dan. XII. 11. potissimum respexisse quia Græca illius loci versio cum Matthæo propius convenit, Cl. SURENHUSIUS merito conciliat. in loca ex V. T. p. 272. notat. Nec enim aut Jesus aut Apostoli in versionis hujus humanæ, licet magnam ei tribuerint authoritatem, verba unquam jurarunt. Et tentabimus in fine, annon sufficiens differentia inter Dan. IX. 27. & Matthæum ratio suppetat.

III. Quamvis autem hæc ita se habeant, & qui Dominum nostrum intelligere cupit, eum Daniele c. IX. 27. secundum adjectam admonitionem (ὁ ἀναγινώσκων νοεῖτω) *attente legere & recte percipere oporteat*, censemus tamen cætera bina loca non plane esse negligenda. Parallela in iis occurrit phrasim. Neque dubitandum est, Daniele, brevi intervallo, phrasim, sibi soli inter omnes scriptores sacros peculiarem, tertia vice repetentem,

rem, si non eandem, singulari tamen inter se similitudine gaudentem, designare voluisse. Unde porro sequitur, si aliquid certi in his locis posterioribus ad eruendum phraseos nostræ sensum possit reperiri, ex eo lumen aliquod priori loco c. IX. 27. indubitato sperandum esse.

IV. Incipiamus a c. XI. 31. ubi ita legimus: *Et brachia supra illos, (ita vertimus וַיִּשְׁבְּ וְרִפְּרִימָה & referimus ad desertores fœderis Regi Aquilonis se adsociantes brachiisque carnis elatos) stabunt, & profanabunt sanctuarium, arcem illam, & amovebunt jugē מַשְׁכַּן יְהוָה וַיִּתְּנוּ & dabunt seu ponent abominationem vastantem, seu vastatoris.* LXX: καὶ δώσουσι βδέλυγμα ἡφανισμένων & ponent abominationem desolatorum. In tota conexione tam clare effingitur monstrum illud hominis, Antiochus Epiphanes, ut saltem in typo ad prophanationem illam templi ab eo, postquam a Popilio Lænate navibus Chittæis a Senatu Romano missis Ægyptum ingredi prohibitus esset, susceptam & i. Maccabæorum c. 1. descriptam hic respici, vix cuiquam dubium esse queat.

V. Cum vero plures afflictionis hujus & periodi & circumstantiæ fuerint, merito inquiritur, ad quam præcise ABOMINATIO ista VASTANS referri queat. Κατήρα ex textu profluentia hæc sunt. 1.) Abominatio desolata aut desolationis ab ipsa desolatione debet distingui, & quidem ut causa ab effectu



hujus emblematis erit elegantia, si per *brachia* ex eodem corpore prognata intelligi possint quidam Antistites, qui robur populi debebant esse, quique arcto quodam vinculo sibi invicem cohærent, & tamen, ut diversarum factionum capita, contra se mutuo insurgunt. Tales erant desertorum fœderis sancti in Judæa duces, *Jason & Menelaus* de summo Pontificatu contendentes, & in hac rixa sacra omnia polluentes. Jason enim, Antiochi, quem pecunia largiter promissa in partes suas pertraxerat, ope, fratre Onia III. dejecto, Pontificatum occupaverat, utque Regi placeret, repudiatis moribus patriis, hellenismum introducere sategerat. Huic Menelaus post triennium dolo, cum trecenta amplius, quam Jason, talenta Antiocho offerret, pontificatum extorsit JOSEPHUS Antiq. Jud. XII. 6. Menelaum Jasonis fratrem fuisse existimat, quem plures sequuntur. Istius si authoritate stare velis, emblematis emphasi inde non parum accedet. Alii tamen malunt authorem libri secundi Maccabæorum IV. 23. sequi, & Benjaminitam fuisse censent. Vide de hac controversia elegantissimum & Celeb. *Buddeum* Hist. Eccl. Tom. II. p. 933. 934. Per nos licet, hanc quoque adsciscere hypothesin, sufficit, hos Principes ejusdem populi fuisse, qui *brachia* in ejus salutem sociare & pro ea ad cœlum extendere debuissent. En *brachia* duo, in quæ populus universus, me-

mo-

morante JOSEPHO, I. c. fissus est, & quidem stantia, id est in bellum armata, quem significatum τὸ ἄρμα aliquando, præsertim in Daniele, induit. Vide Dan. VIII. 7. 25. XII. 1. Nihil magis apposite heic putamus concipi posse, cum hi revera desertorum fœderis sancti duces, ab Antiocho distincti, omnisque calamitatis subsequenter scaturigo fuerint.

VII. Competunt quoque in eos facinora, quæ propheta comulat. *Sanctuarii profanatio* a Menelao est suscepta. Cum enim ille Antiocho promissam pecuniam non solveret, substituto ad tempus Lysimacho fratre, Antiochiam ad Andronicum, qui vices absentis Antiochi obibat, se contulit, eique aurea vasa furtim e templo ablata, donavit, quorum etiam quædam Tyri vendidit. Non tamen excludo pollutiones sanctuarii ab ipso deinceps Antiocho susceptas, ad quas ipsi fœderis divini inter Judæos profanatores manus ei præbuere, cum urbis sine ullo negotio Dominus fieret, ἀνοιξάντων αὐτῷ τὰς πύλας, ὅσοι ἦσαν ἐκεῖνα προαιρέσειως ἦσαν i. *aperientibus ei portas sue factionis hominibus.* JOSEPHUS Ant. XII. 7. Per arcem quidam ipsum intelligunt sanctuarium. Sed distingui etiam ab eo potest, & designare munimentum sedemque principatus in Zione. Et tum ad profanationem ejus spectant præcipue spectacula & ludi more Grecorum in gymnasio sub ipsam arcem fundato a Jasone introducti 2. Maccab. IV. 12, Eodem

Jafone deinceps contra Menelaum copias ducente, eumque in arce obsidente, cum tota civitas cædibus impleretur, templum derelictum est, & sacrificia intermissa, sacerdotibus pariter fugientibus & quærentibus latebras. Quis non huc *ablationem sacrificii jugis* referret? Quæ tamen brevi post edicto Regio impiorum consiliis annuente magis firmata est. Καὶ γὰρ τὰς καθήμεναις θυσιᾶς, ἃς προσέφερον τῷ Θεῷ κατὰ τὸν νόμον, ἐκάλυπεν αὐτὰς προσφέρειν i. Nam *quotidiana sacra juxta legis præscriptum vetuit eos facere*, ut habet JOSEPHUS Ant XII. 7. Et quid iccirco aptius, quam ut per *positionem abominationis rituum ethnicorum* introductionem, religionisque adeo veræ everfionem intelligamus, quam non Antiochus primitus, sed impius ille Jason, ejusque affectæ desertores fœderis susceperunt? Lege sis 2. Maccab. IV. 7. sq. Confer 1. Maccab. I. 12-16. Temporibus illis prodierunt ex Israele homines iniqui & persuaserunt multis, dicentes; eamus & disponamus fœdus cum gentibus circumstantibus nos: nam ex quo separati sumus ab illis, obvenerunt nobis mala multa. Qui sermo cum bonus visus esset in oculis illorum, comparati animo quidam e populo profecti sunt ad Regem, qui dedit potestatem faciendi statuta gentium. *Ædificaverunt itaque Gymnasium Hierosolymis secundum leges gentium. Et facientes sibi ipsis præputia, defecerunt a fœdere sancto* (ἀπέσπασαν ἀπὸ διαθήκης αἰγίας: nota eandem, quæ heic præcedente

com-

commate tricesimo occurrit, phrasin) *Et con-*  
*juncti gentibus venditi fuerunt ad faciendum malum.*  
*Josephus Antiq. Jud. Lib. XII. 6. Menelao hoc*  
*apostasiae crimen impingit. Quæ tamen An-*  
*tiocho Hierosolymas occupante complemen-*  
*tum accepit, cooperantibus ei scelestissimis*  
*ex Judæis. Ibidem enim c. 7. conqueritur*  
*admixtos esse Antiochi copiis τῆ πλήθους τὰς*  
*ἀσεβείας καὶ πονηρὰς τὸν τρόπον, ὑφ' ὧν πολλὰ δεινὰ*  
*τὰς πολίτας σωέβη παθεῖν i. ex Judæis valde im-*  
*pios, Et scelestos, a quibus multa gravia civitas per-*  
*peti debuit. Addit: In templo quoque ara posita,*  
*porcos mactavit sacrificium a Judæorum religione a-*  
*lienissimum: Et cogebat omnes, abrogato vero Dei*  
*cultu ipsius venerari numina; Et oppidatim extru-*  
*ctis templis atque altaribus, porcinas in eis quoti-*  
*die jugulare victimas. Comminatus est etiam gra-*  
*vem pœnam, si quis liberos circumcideret, consti-*  
*tutis, qui mandata exigerent, atque etiam vi ad*  
*ea servanda detrectantes cogere. Καὶ πολλοὶ μὲν*  
*τῶν Ἰουδαίων, οἱ μὲν ΕΚΟΝΤΙ, οἱ δὲ καὶ δι' εὐ-*  
*λάβειαν τῆς ἐπηγγελμένης τιμωρίας, κατηκολύθησαν*  
*οἷς ὁ βασιλεὺς διετέτακτο i. Et multi Judæorum,*  
*quidam SPONTE, quidam vero metu supplici pa-*  
*rebant edictis regis. Huc pertinet simulacrum*  
*Jovis Olympii, id est, τὸ ἱεὺς βυβ (Baal Se-*  
*men) in ipso Templo collocatum 2. Macc. VI.*  
*2. de quo hic sigillatim Vatablus & Grotius ad*  
*§. i. cogitavit. Nec abluere videtur 1. Mac-*  
*cab. scriptor c. I. 54: Die autem XV. mensis*

Cis-

Cislevi, anno 145. exstruxerunt ΒΑΕΑΥΓΜΑ ΕΡΗ-  
 ΜΩΣΕΩΣ abominationem desolationis super  
 altare, & in civitatibus Jehudæ circumquaque ex-  
 struxerunt aras. In eo tamen diversi fumus,  
 quod non hoc solum, sed universum a religi-  
 one vera defectum, cujus hæc statua extre-  
 mus quasi gradus erat, ut ita crimen pœnam  
 anticipet, simul involvi per ABOMINATI-  
 ONEM censeamus. Ex tam abominabili avi-  
 tæ religionis cum ethnica idololatria permix-  
 tione justum desolationis judicium est prognat-  
 um, quod Antiochus Epiphanes ab Ægy-  
 ptiana expeditione reversus inflixit. Valde  
 notanter id expressum est 2. Maccab. IV. 15,  
 16. ubi post commemoratam religionis tur-  
 pissimam iniquationem additur: *Patrios qui-  
 dem honores nihili facientes; Græcicas vero glo-  
 rias pro optimis ducentes: QUORUM ETIAM  
 CAUSSA PERVASIT IPSOS GRAVIS CALA-  
 MITAS* (En desolationem, immediate subse-  
 quentem abominabilis idololatriæ fructum!)  
*quam quorum emulabantur ductum, & quibus omni-  
 no volebant conformari, hos inimicos atque ultores  
 habuerunt. Unde & JOSEPHUS notat, ne his  
 quidem Antiochum pepercisse, qui quasi pacate ve-  
 nienti portas aperuerant.*

VIII. Egregie hypothesis hæc firmatur per  
 considerationem temporis, quod ABOMINA-  
 BILI huic templi & religionis universæ pol-  
 lutioni adsignatur Dan. VIII. 13. 14. *Et audi-  
 vi unum sanctum loquentem, & dicebat unus san-  
 ctus*

*Aut τὸ δῆνα loquenti : quousque visio jugis (scilicet cessantis) ⲙⲙⲱ ⲛⲉⲩⲱⲛⲉ & DEFECTIONIS DESOLANTIS ? dare Ⲙⲓⲁⲛⲧⲱⲙ Ⲙⲓⲁⲛⲧⲱⲙ conculcationem? Et dixit ad me, usque ad vespertas matutina bis mille Ⲙⲓⲁⲛⲧⲱⲙ, Ⲙⲓⲁⲛⲧⲱⲙ justificabitur sanctum. In antecessum notamus, tantum non unanimi Interpretum consensu prophetiam hoc capite comprehensam aut respicere, aut saltem alludere, ad eandem Antiochi afflictionem. Cum igitur eadem in his verbis, quæ c. XI. 31. mala prænuntientur ad idem intervallum pertinentia, loca hæc plane parallela esse negari nequit. Hoc vero si concedatur, simul permitti debet per ⲙⲙⲱ ⲛⲉⲩⲱⲛⲉ idem designari, quod c. XI. 31. dicitur ⲛⲓⲕⲓⲱ, ⲙⲙⲱ adeoque ⲛⲓⲕⲓⲱ & ⲛⲓⲕⲓⲱ apud Danielelem esse synonyma. Eodem enim modo ⲛⲓⲕⲓⲱ seu defectio cum ablatione jugis & profanatione sanctuarii, quo deinceps ⲛⲓⲕⲓⲱ jungitur: idem quoque utrique effectus eodem vocabulo ⲙⲙⲱ, justissimum nempe desolationis iudicium tribuitur. Velimus ergo, nolimus, fateri fas erit, Danielelem per ⲛⲓⲕⲓⲱ non abominabile aliquod invitis Judæis obtrusum, sed ab ipsis per apostasiam a religione patria commissum, tanquam facinus, quod tam severum Dei iudicium provocavit, intelligere: quod quam solide secundum criterium a nobis §. V. datum confirmet, facile perspicitur.*

IX. Temporis etiam nunc pensitetur articulus. Nam *vespera & matutina 2300* totidem

conficiunt dies, ex quibus, si pro more scripturæ annos lunares dierum 360. computes, exsurgunt anni 6, menses 4, dies 20: paullo minus, si solares. Hoc autem temporis intervallum non reperies in sola Antiochi Epiphaniis oppressione, quæ ad summum in quarto anno substitit. Si vero retrogrediaris ad Mene-laum Pontificatum maximum sceleste occupantem, facile hi anni reperientur. Consuli possunt *Interpretes Belgæ*, & ex iis *Cel. Coccejus*. Unde iterum liquet, originem mali non ab Antiocho, sed ab ipsis DEFECTO-RIBUS & BRACHIIS eorum contra se invicem armatis esse arcessendam, Antiochi vero tyrannidem & desolationem non nisi virgam abominabilis apostasie fuisse.

X. Existimo igitur hac exegesi exsculptis modo ex textu criteriis abunde esse satisfactum. 1.) Abominatio per Jasonem & Mene-laum commissa præcedit desolationem Antiochi. 2.) Spectat religionem cultumque Dei, a quo foedissima apostasia impiorum horum hominum asseclæ desciverunt. 3.) Fax & tuba omnis mali ipsi Judæorum primores fuere.

XI. Adfero licet literali hujus prophetiæ sensu, mysticum non penitus respuimus. Sicut defectiones Judæorum a Deo Israelis & tremenda Judicia, hoc pacto provocata sub œconomia V. T. semper aliquid typicum habuere, ita heic quoque idem subodorari licet.

Qui-

Quidam ad Turcam, alii ad Antichristum referunt. Utrumque forte non inepte conjungi poterit. Ni fallor Dan. VIII. aptissime Muhammedanismus pingitur. Satis probabile id reddidit Cl. SCHUURMANNUS docta in hanc prophetiam dissertatione, quæ Belgico ejusdem in Joëlem Commentario subnexa est. Verum Dan XI. Antichristianismum potius spectari vel ex Pauli Apostoli citatione patet. Confer. vs. 36. cum 2. Thess. II. 4. & vs. 37. cum 1. Tim. IV. 1. 2. 3. Consuli possunt JURIÆUS Implem. Prophet. P. I. c. 18. sq. HULSIUS Vall. Prophet. XIV. §. 22. seq. Quod cunque eligas, recurrent criteria, quæ textus postulat. Muhammedanismi oppressionem antecessit abominabilis Ecclesiæ Orientalis a religione & cultu divino defectus. Et cum Ecclesia Occidentalis nondum, tristi hoc sororis judicio excitata, ad meliorem mentem rediret, ipsa quoque sub Pontificis Romani tyrannide plagas iræ divinæ sensit & adhuc dum sentit.

XII. Alter locus, qui phrasi a Christo adhibitæ parallelus est Dan. XII. 11. ita se habet: *Et a tempore recessionis sacrificii jugis יָרֵב נְהַבֵּי עֹשֶׂה וְפֹשֵׁעַ* & positionis abominabilis desolantis (LXX. καὶ δοθήσεται βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως) dies mille ducenti, nonaginta. Grotius alique, ob phrasium similitudinem heic quoque de tempore Antiochi Epiphaniis agi putant. Cum iis ex præcedentibus res jam confecta est, quia, si  
 locus

locus hic pro plane parallelo, quoad subiectum prophetiæ habeatur, verba de eodem subiecto adhibita, eundem necessario sensum fundent. Sed obest aliud plane temporis intervallum heic indicatum. Obest & nexus tum cum toto capite XII. quod statim ab initio ultimam Ecclesiæ afflictionem atque liberationem indicat, tum cum commate præcedenti decimo, quod Apoc. XXII. 11. ad œconomiam N. T. transfertur.

XIII. Sunt, qui locum nostrum ad excidium Hierosolymitanum per Romanos referunt, quibus etiam Cl. OUTHOVIUS pollicem premit. Hanc hypothese[m] sententiæ nostræ non contrariari, statim in consideratione loci Dan. IX. 27. probatum dabimus. Multis tamen eam incommodis premi certum est. Præcipuum nascitur ex numero 1290. dierum, quia *jugis ablatione & abominabilis positione* computantur. Diversimode numeri ejus conciliatio cum annis belli Judaici a diversis instituitur, quorum supputationes heic repetere & ad calculos eorum sedere non est necesse. Attendatur tantum terminus a quo, & terminus ad quem, cui numerus hic adstringitur, tunc ad oculum patebit, cum bello Judaico ei nihil commune esse. Terminus a quo heic non tantum est *positio abominabilis*, de quo quæritur, sed etiam *ablatio jugis*, quæ, si de ea hic cogitare velis, quam perniciēs populi Judaici secuta est, Dan. IX. 27. in  
dint.

*dimidio septimane* mysticæ, qua *excindetur Un-*  
*ctus*, collocatur. Illa autem ablatio jugis quid  
 cum initiis belli Judaici commune habeat non  
 perspicio. Facta enim est de jure in morte  
 & resurrectione Christi, quæ longe bellum  
 Judaicum antevertit, de facto vero in ipso  
 Templi excidio. An vero inde Viri illi docti  
 numerare hos dies velint dubito. Fateor ta-  
 men CALVINUM ita instituire, dum tem-  
 pus, de quo Daniel loquitur, inchoat ab ulti-  
 ma templi vastatione, sed ubi terminum ad  
 quem figat, dubitabundus hæret: unde my-  
 stice eum sumi debere censet, quod tamen  
 omni ratione caret. Priori enim termino li-  
 teraliter sumto, posteriorem eodem modo  
 intelligendum esse sequitur. Neque minus  
 aqua iis hæret, qui terminum ad quem in ipso  
 excidio urbis ac templi figunt. Prophetia  
 enim dies hos non in calamitate quadam finit  
 sed ab ea orditur, ejusque durationem ad  
 1290. & 1335. extendit, quibus exspiranti-  
 bus non excidium sed summa serenitas ac *be-*  
*atitudo* populo Dei sequetur. Quare singula-  
 rem *beatitudinem* Ecclesiæ immediate cum judi-  
 cio Dei in Judæos conjunctam demonstrare  
 necessario debent, qui hanc opinionem fo-  
 vent. Quod tamen apprime difficile erit, si-  
 ve numerum hunc secundum literam, si-  
 ve Prophetice, more Danieli consueto, inter-  
 pretari velis. Si enim proprium sensum di-  
 erum præferas, ecquid residuum 45. dierum,

quod supra 1290. in numero 1335. deprehenditur, ad *beatitudinem* populi Dei in excidio Hierosolymitano faciet? Si vero dies *pro annis* sumas in tristissima adhucdum afflictionum Ecclesiae Waldensis tempora ab excidio templi numerando incidet.

XIV. Præfero igitur jure merito eos, qui ferius prophetiam nostram implendam sentiunt, nec aliam abominationem, quam Antichristianam, quæ tot dierum prophetico-  
rum spatio perdurare debebat, intelligunt. Hoc 1. exigit numeri in versu nostro occurrentis affinitas cum *tempore, temporibus, & dimidio temporis* vs. 7. qui constantissimus Antichristianismi apud Prophetas character est. Ipse Daniel c. VII. 25. evidenter satis hanc phrasin de regno Antichristiano adhibet. Probavit id feliciter Cl. KARLIUS fasciculi præcedentis p. 804. sqq. 2. Ita congruit terminus a quo, quia Papatu lacertos movente meritum sacrificii Christi surrogata justitia propria paullatim obscuratum & abnegatum est. 3. Terminus ad quem, qui ex nostra sententia nondum comparuit, in *beata* illa halcyonia Ecclesiae promissa incidet. 4. Accedit nexus cum toto hoc capite, cujus diversæ partes in scriptura N. T. ad hanc periodum transferuntur. Confer c. XII. 1. cum Apoc. III. 10. & vs. 2. cum Apoc. 20. & vs. 3. cum Matth. XIII. 43. & vs. 7. cum Apoc. X. 5. 6. & vs. 11. cum Apoc. XXII. 11. Ipsi Pontifici  
cui

cii tempora Antichristianismi hic indigitata agnoscunt. Neque plane ineptit CORNELIUS a LAPIDÉ ad h. l. ita scribens : Porphyrius & aliquid Catholici hæc intellexerunt de tempore Antiochi, qui sacra Judaica sustulit. Alius quidam putat hic designari tempus, quo Romano- rum contra Judæos bellum duravit : si enim a 13. Neronis anno, quo cœpit bellum hoc, usque ad secundum Vespasiani, quo debellata captaque est urbs, totaque Judæa, tempus numeres, tres annos cum medio reperies. Verum ex v. 2. patet hic agi de fine mundi. Sicut ergo c. 9: 27. prædicit Daniel fore abominationem desolationis in templo, in excidio per Titum, & rursus c. 11: 13. in excidio per Antiochum Epiphanem ; ita hic ait eandem tertio fore in excidio per Antichristum, cujus illa duo priora fuerant typus & præludium. Triplex ergo, sive ter repetita, est hæc abominatio desolationis apud Danielelem : primo, sub Antiocho : secundo, sub Tito : tertio, sub Antichristo. Atque in hanc sententiam Protestantes non tantum Lutherani, sed etiam, quod male negavit GEIERUS, Reformati pedibus eunt. Inter quos laudare sufficit, JOSEPHUM MEDUM, COCCEJUM, GULICHIIUM, MELCHIORIS, HULSIUM, HORCHIIUM. Præi- vere in hac hypothese, multi Ecclesiæ Patres, quorum testimonia collegit Cl. WAGEN- SEILIUS in Mantiss. de 70. hebdomad. Danielis Telis Satanæ subjuncta p. 18. sq. qui etiam agnoscentem communem hunc Chri-

stianorum consensum ABARBANELEM citat,  
 in Dan. pag. 74. col. I. הפסוקים האלה ער סוף  
 הספר פירוש הנצרים על האנטקריסטו :  
 i. Quæ inde a commate 36. capituli XI. usque ad  
 finem libri exprimentur, ea Christiani de Antichri-  
 sto exponunt.

XV. Horum autem si adsurgendum est,  
 ut mihi quidem videtur iudicio, iidem, quam-  
 vis in litera prophetiæ obscurius expressi, in  
 implemento tamen locum habent caracte-  
 res, quos §. 4. designavimus. 1.) *Abomi-  
 natio in Antichristianismo antecedit desolati-  
 onem, uti peccata Babylonis plagas ejus Apoc.  
 XVIII. 4.* 2.) *Abominatio Antichristianismi  
 concernit templum Dei mysticum, in quo homo  
 peccati sedet 2. Thess. II. 4. Phrasi ad Dan.  
 XI. 36. alludente; quin totam veram religi-  
 onem in idololatriam commutatam. Con-  
 sulte COCCEJUM ad nostrum locum.* 3.)  
 Authores hujus abominationis fuere iidem,  
 qui pro externis Ecclesiæ Christi membris ha-  
 beri voluere, sed ab eadem perfide descive-  
 runt.

XVI. Ingens inde nascitur præjudicium  
 pro ea sententia, quæ Dan. IX. 27. & ex eo  
 Matth. XXIV. 15. per שקיץ seu βδελυγμα  
 non tam *abominabile* aliquid Romanorum,  
 quam ipsorum Judæorum intelligendum esse  
 vult, quamque non veremur nostram facere,  
 quia eadem cum verbis & vera secundum ac-  
 centus constructione textus penitus conve-  
 nit.

nit. Ita ille se habet: *זחצי השבוע ישבית* : *זבה זמחה ועל ככה שקוצים משמים* quæ verba secundum structuram vocum & accentuum situm sensum hunc fundunt: *Et dimidio septimana illius cessabit sacrificium & munus & super (seu contra) alam desolationum erit vastator.* Ita FRANCISCUS VATABLUS: *Eritque vastator super abominationum ala.* Nec longe abludivit PISCATOR: *Et super alam detestabilissimam desolator (veniet.)* PELLICANUS itidem: *Et super alam abominationum desolatio.* MELCHIORIS: *Et super ala abominationum erit desolans.* Hanc versionem adsciscit COCCEJUS & adstruunt pluribus Celeb. ALPHENIUS in h.l. WOKENIUS Medit. Priv. XXIII. p. m. 142. Cumque nihil videamus, quod jure in ea desiderari queat, ex illa tria, quæ postulavimus criteria facile adstruimus.

XVII. Clarissime hic primo *abominationes a vastatore seu vastatione distinguuntur*, tanquam res diversæ & diversis subjectis inhaerentes. *Abominationes* hic considerantur ut peccatum, & antecedens, quod per *supervenientem vastatorem* justo Dei judicio vindicatur. Unde evidenter colligitur, si duo hæc jungantur, uti in reliquis Danielis locis & apud Matthæum fit, ubi *abominatio vastationis* occurrit, non aliter id intelligi posse, quam ut *abominatio vastationis* sit talis *abominatio*,

Ttt 3 XIX quæ

quæ vastationis signa, ut peccatum poenam, post se trahit,

XVIII. Alterum autem κειπήειον, quod abominationem hanc præcise ad templum cultumque Dei refert, ex voce קנכ facile exculpitur. ALEXANDRINOS interpretes, quorum in quam plurimis locis insignis a nobis agnoscitur authoritas, hic duces sequimur, qui קנכ per ἱερόν vertunt : καὶ ἐπὶ τὸ ἱερόν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Recentiores quoque Judæi JARCHIUS, GERSONIDES illam expositionem probarunt, & eorum doctissimus, Rabbi ISAACUS, non dubitat, Hebræam vocem קנכ interpretari מושב גובה i. *sedem excelsam*, quod nomen apprime templo convenit. Versio quoque HIERONYMI & VULGATA habet : *Et erit in templo abominatio desolationis.* Consentit ARABS : *Et super sanctuarum erit abominatio ruina.* Adde CHRYSOSTOMUM hom. 3. adversus Judæos & THEODORETUM interpretantes : καὶ ἐπὶ τὸ ἱερόν τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Et Tertulianum lib. adv. Judæos : *Et in sancto execratio vastationis.* Quam egregie huic opinioni cum Salvatoris nostri verbis conveniat, infra videbimus. Quare suum ei pollicem dedit Cel. OLEARIUS in Matth. Observ. LXXIII. §. 3. & forte dabunt plures alii, si elegantissimam hujus denominationis rationem perpenderit.

XIX. Missos jam facio, qui ex veteribus per

per alam *pinnaculum* templi, quod *πτερόγιον* Matth. IV. 5. dicitur Græcum aliquod exemplar cum TERTULLIANO secuti, intellexerunt, Consulatur de hac versione præter OLEARIUM l. c. Cl. POTTERUS in Clem. Alex. Tom I. p. 394. Nimis exigua hoc *pinnaculum* templi pars erat, quam ut pro toto sanctuario ponereatur & cum *ala* hæc præcise *ala abominationum* dicatur, quænam abominationes excidio dignæ *pinnaculo* adhæserint, difficile erit monstratu. Neque plus momenti in eorum cogitatis deprehendo, qui ad *alas Cherubinarum* Danielis phrasin referunt, inter quos FORSTERUS Lexico rad. כנף & LUTHERUS. Non tantum quia templum Zorobabelis Cherubinis plane cassum erat, sed etiam quia hoc quoque nimis speciale videtur.

XX. Ipse OLEARIUS l. c. hanc dat rationem, quoniam lateri urbis orientali, templum oræ cujusdam ad instar, aut alæ, adhærere videretur. Sic enim כנפי הארץ *alas terræ* extrema ejus & quasi oras dici, frequens est Jes. XXIV. 16. XI. 12. Job. XXXVII. 3. Non dedignaremur hanc adsciscere sententiam, nisi aliud superesset longe ἐμφατικώτερον.

XXI. Alæ nempe cum instrumentum sint, quo volucres & proprium corpus & pullos congregatos tegere solent, hinc quaecunque tectorium aut tutamen sub ALÆ emblemata-

te pingitur. Ex sacris id ad nostrum locum  
evicit Celebr. ALPHENIUS, collega meus  
posthac singulari Dei providentia conjunctis-  
simus, doctissimo in Dan. IX. 27. commen-  
tario vernacule edito, quamvis in subjecto  
ipso modeste a tanto Viro discedamus. Huc  
pertinet, quod ora vestis, quæ, ad tegendum  
aliquid extenditur, sæpe אָרָא audiat. Sic  
Θετραλιχῶν πτέρυγες apud SUIDAM & alios a-  
dagiorum collectores sunt chlamydes The-  
salorum laxiores. HORATIUS lib. I. E-  
pist. 13. a quibusdam additur :

- Ne forte sub ala  
Fasciculum portes librorum, ut rusticus  
agnum.

Sed locus hic de axilla, non vestis ala, agit.  
De tali præcipue vestis ora, quam sponsus  
super sponsam in fidem & tutelam eam reci-  
piens extendebat, occurrit Ezech. XVI. 8.  
Ruth. III. 9. ad quem locum multa docte in  
hanc rem congeffit OUTHOVIUS noster.  
Inde ad omne præsidium transfertur. Con-  
sule GROTIUM ad Matth. XXIII. 37. Et  
adde EURIPIDEM Troad. Act. III:

τί με δέδραξαι χερσὶ, καὶντέχη πέπλων,  
Νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπιπνῶν ἐμᾶς;

i. Quid me manibus prehendis? quid inheres  
peplis,  
Sub meas veluti pullus alas confugiens?

Ibi-

Ibidem Heraclid. v. 11:

-- Τακείνυ τέκν' ἔχων ὑπὸ πτέροις  
Σώζω τὰδ', αὐτὸς δεόμενος σωτηρίας ἱ:

-- *Illius hos tegeo liberos  
Servans sub alis, ipse salutis indigus.*

Porro & σκιάδια sive umbellas Græci πτερὰ ἀ-  
λας dixerunt. HESYCHIUS, πτερόν, σκῆνη.  
Sacras etiam apud Ægyptios domos πτέρυγες  
dictas esse, uti & tectam aliquam Labyrinthi  
partem *Stephanus* in Lexico notavit. Tem-  
plorum tecta alas dictas esse SCHOLIASTES  
ARISTOPHANIS docet in avibus ad v. 1110:  
Τὰς γὰρ τῶν ἱερῶν εἴρας πτερά κῶι ἀετὸς καλεῖ-  
σιν, ὡς Φησὶν Ἰών ἐν Ἀγαμέμνονι ἱ. Templorum e-  
nim tecta alas & aquilas appellant, ut author est  
*Jon* in *Agamemnone*. Confer NIC. ABRA-  
MUM Phar. Scr. num. 24. de 70. hebdomada:  
Quidni igitur templum ALA diceretur, quod  
non tantum firmissima munitione cinctum,  
sed in quo Judæi etiam omne robur & præsi-  
dium suum collocabant, eo usque, ut vel  
contra illud loqui ejusque prædicere excidi-  
um blasphemiam loco haberetur. Jer. VII. 4.  
Matth. XXVI. 61. Act. VI. 13.

XXII. Luculentior vero emergit emble-  
matis hujus sensus, quando perpendimus,  
ipsum Dominum, in sanctuario hoc se mani-  
festantem, & visibile signum istud, quod  
præsentiam ejus gratiosam tessera erat, sub no-

mine ALARUM frequentissime proponi. Exod. XIX. 4. Vos vidistis, quæ fecerim Aegyptiis, ut sustulerim vos alis aquilarum, & adduxerim vos ad me. Deut. XXXII. 11. 12. Ut aquila excitat nidum suum, pullis suis incubat; pandit alas suas, assumit eum, portat eum super alas suas: Jehova solus duxit eum. Extra controversiam hic positum esse reor, quod alludatur ad columnam nubis, in qua DUCTOR ISRAELIS mystice habitabat, quæque inferiore sui parte alarum expansarum speciem & umbraculi vicem gessit. Liquidissimum id ex Ps. CV. 39 פֶּרַשׁ עֵינַי לַמַּסָּךְ *Expandit nubem pro velo seu tegumento.* Alia idem evincentia addit CRAMERUS Theol. Israel. Parte II. differt. in Exod. XXIII. c. 6. §. 9. 10. Quibus jungo Ps. XVIII. 11. ubi ALARUM VENTI fit mentio, & commate superiori Deus descendisse cum caligine sub pedibus dicitur, totusque contextus ad tremendum Legislatoris in columna nubis ac ignis supra montem Sinai descensum alludit.

XXIII. Atque inde procul dubio phrasis Judæorum fluxit, quæ Schechina id est manifestationi Domini in nube alas adscribit, sub quas se recipiunt profelyti justitiæ. JEVAMMOTH Fol. 46. col. 2. lin. 8. וְיְהוָה יוֹשֵׁעַ טְבִילָה בְּאֵימָהִית מְנַלֵּן סְבִרָא הִיא דְּאִכּ בְּמַה נַּכְנְסוּ הַחַת כְּנַפֵּי שְׂכִינָה i. R. Josua dicit: Undenam constat, quod matres fuerint baptizate? Resp. Colligitur hoc per probabilem argumentationem. Nam quo medio, nisi isto, receptæ essent sub ALAS

*Schechinæ* ? Eadem phrasis sæpius ibidem recurrit, unde apud Magistros Judæorum in usu est. MAIMONIDES hilc. Issure Bia c. 13. §. 4. 5. 6: לדורות כשירצה הכותי ולהכנס לברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה ויקבל עליו עול' תורה ונ' i. *Quandocunque gentilis in fœdus cum Deo vult recipi, & requiescere sub ALIS majestatis divinæ, & jugum legis in se recipere &c.* Ut jam præteream congregationem ad festa solennia a Talmudicis כנופיא dici, & per רגלים explicare, de quo consulatur *Buxtorfius Lexic.* p. 1057. 1058.

XXIV. In iis sane locis, quæ deinceps de ALIS JEHOVÆ & UMBRA ALARUM EJUS agunt, ad Schechinam in sanctuario frequenter alludi negari nequit. Sic Ruth. II. 12: *Sub ALAS ejus (Jehovæ, Dei Israelis) venisti, ut te obtegeres.* Ubi CHALDÆUS: *Venisti ad protegendum te תחת טלל שכינת יקריה sub umbra SCHECHINÆ gloria ejus.* Idem Interpres etiam alias pro *alis* Jehovæ שכינה ponit. Vide Ps. XVII. 8. LVII. 2. LXIII. 8. &c. Et quis neget, Davidem, quando Ps. XVII. 8. ait: *Serva me tanquam nigrum pupillæ oculi: Umbra ALARUM tuarum absconde me,* respexisse ad locum modo ex Deut. XXXII. adductum, ubi eadem emblemata conjunguntur, & talem a Domino protectionem petere, qualem in deserto populo suo præstitit? Eadem ad Schechinam in sanctuario allusio recurrit Psalm XXXVI. 8: *Quam pretiosa est*  
est

est benignitas tua, Deus; quum filii hominum ad  
 umbram ALARUM tuarum se recipiunt? Sequi-  
 tur enim illico: *Uberrime expleantur pinguedine  
 domus tue; ut non dubites respici ad sacerdo-  
 tes sub umbraculo nubis gloriosæ in sanctua-  
 rio ministrantes. Adde Ps. LXI. 5: Commora-  
 bor in tentorio tuo per secula, recipiam me in occul-  
 tum alarum tuarum maxime.* Sunt quidem, &  
 inter eos Cl. WITSIUS Ægyptiac. II. 13. §.  
 28. qui ad alas Cherubinorum allusum putant.  
 Sed præter ea, quæ §. 15. jam notata sunt,  
 nec loco huic id apte convenit, cum in ten-  
 torio alæ Cherubinorum non per totum ady-  
 tum, uti in templo Salomonis, sed tantum  
 super arcam foederis se extenderent. Ex  
 his locis, cœtera, quæ alarum Jehovahæ men-  
 tionem faciunt, illustrari debent. Adde su-  
 pra jam adductis Ps. XCI. 4. quem eodem  
 transfert R. SALOMO EPHRAIM *Abaroni-  
 des in Ir Gibborim* excerpto ab ACOLUTHO  
 aq. amar. c. 4. p. m. 424: *ישב בסתר עליון וגו' יושב  
 יהיא רצתה להסתירם בסתר כנפי השכינה* id  
 est: *Confidens in latibulo excelsi &c.* (Ps. XCI.  
 1. sq.) *voluitque ipsa illos in latibulo ALARUM  
 majestatis divinæ (Schechinæ) abscondere.* Ea-  
 dem mens est MIDDRASCH TILLIM & R.  
 ARAMA apud KIMCHIUM.

XXV. Neque absolum est, nubem expan-  
 sam, umbraculum præbentem, locumque sæ-  
 pe numero permutantem & super capita I-  
 sraelis varie se moventem sub ALARUM me-  
 tapho-

taphora proponi. Sic, ventis quas adscribit antiquitas, ALÆ tenebricosæ nubes sunt. Farraginem exemplorum dabit suavissimus & eruditissimus Theod. HASÆUS noster observat. ad Ps. 139: 9. qua Historiæ Criticæ Gallicæ lingua editæ Tomum XII. ornavit §. 8. Sed & ipsas nubes Aristophanes Νεφέλ. γ. 336. οἰωνὸς αἰερονηχεῖς i. volucres aëre nantes appellat. ALÆ etiam nubium erant hieroglyphicum apud Rhodios Plutum pingentes juxta PHILCSTRATUM Icon. lib. II. c. 28. γέγραπται δὲ πτηνὸς μὲν, ὡς ἐν νεφῶν i. Pictus autem est alatus, ut ex nubibus.

XXVI. Hinc forte lux affulgebit illustri loco Mal. IV. 2. *Et exorietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ & sanitas erit sub alis ejus.* Quamvis enim SOLI ALAS appinxerit antiquitas, uti ab Interpretibus ad h. l. catervatim notatum est, alio tamen hoc videtur factum esse consilio, quam quod in hoc loco quadrat, scilicet, ut motus & radiorum ejus pernicitatem adumbrarent. Heic vero ALÆ hæ tanquam tegumentum videntur considerari, quod super timentes Jehovæ panditur, ut a judiciis severis, quæ comma præcedens impiis, tanquam ignem consumentem minatur, defendantur. Quidam ergo horum emblematum, SOLIS & ALARUM, conjunctio in mentem nobis revocaret admirandam illam columnam, cujus pars superior Solis radios splendore imitabatur, inferior vero  
verti-

verticem Israelis tanquam expansis alis obumbrabat, eosque ab æstu immunes præstabat ? Colludit sane cum hac *Solis & alarum* <sup>α' qu'ora</sup> alia ad eandem columnam nubis, duplicemque ejus materiam ac usum respiciens, *Solis & clypei* Ps. LXXXIV. 12. *Ala* sane & *clypei* symbola egregie conspirant & junguntur, Ps. XCI. 4.

XXVII. Ab hac etiam *umbra* ALARUM JEHOVÆ derivamus constantem Deos gentilium cum ALIS pingendi morem, qui a Phœniciis & Ægyptiis ad Græcos aliasque gentes transiit. Abunde id nube exemplorum demonstrarunt URSINUS Anal. P. II. lib. V. c. 1. *Gisb. CUPERUS* Apoth. Homeri p. 34. sq. p. 169. sqq. *TEXELIUS* Phœnice p. 210. sqq. *BEGERUS* Thes. Brandenburg. Tom. I. p. 54. 55. II. p. 269. &c. Præcipue huc pertinet, quod inter Deastra Ægyptiorum CNEPH a כנפ or seu ALA nomen suum traxerit, de quo præter CUPERUM l. c. p. 35. consuli possunt *HUETIUS* Demonstr. Evangel. l V. c. 4. §. 8. *TH. GALE* in *Jamblichum* de mysteriis p. 301.

XXVIII. Inde ingeniose doctissimus *LE MOYNE* dissert. ad Jerem XXIII. 6. p. 180. & *Var. Sacr.* p. 3. 4. 5. explanari posse censet nomen Ægypti mysticum, quæ *Jes. XVIII.* 1. dicitur *terra obumbrata alis*, seu ut ille verti posse putat, *terra umbræ alati Cnuphis*. Examinauit hanc sententiam *Celeb. VITRINGA* doctissimo ad h. l. commentario, ita tamen,

men, ut LEMOYNII asseclis effugium omne  
 nondum perierit. Difficultati, quæ move-  
 tur, quasi terra obumbrata ab alis Knouphis ni-  
 mis hyperbolice diceretur, regeri posset,  
 phrasin de vero Deo Israelis satis consuetam  
 ad tutamen ejus exprimendum, ironice trans-  
 ferri ad idolum, in cujus tutamine, licet fal-  
 so, confidebant Ægyptii. Neque obstaret,  
 quod additur, Idolum hoc non videri toti  
 Ægypto commune fuisse, cum secundum  
 STRABONEM in insula Elephantina proxime  
 Æthiopiam cultum sit. Hic enim Æ-  
 gypti terminus signate additur: *quæ est citra*  
*flumina Caschæ;* ut ianuatur exitium, quod  
 propheta minatur, ad extremos usque Ægy-  
 pti terminos pervasurum. Accedit *Knephim*  
 nostrum pro peculiari unius regionis aut  
 oppidi Deastro haberi non posse, cum sub  
 hoc nomine Deorum cœlestium ducem & re-  
 rum omnium parentem & conditorem Deum,  
 ortus juxta ac interitus expertem coluerint.  
 JAMBlichus de myster. Sect. VIII. c. 3.  
 Κατ' ἄλλην δὲ τάξιν προσάττει Θεὸν τὸν Ημῆφ (Κνηφ  
 legendum esse, contra ac KIRCHERUS cen-  
 suit, apud eruditos in confesso est) τῶν ἐπι-  
 στατιῶν Θεῶν ἡγούμενον. Ὅν φησιν νοῦν εἶναι αὐτὸν  
 ἑαυτὸν νοῦντα, καὶ τὰς νοήσεις εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφον-  
 τα. i. *Secundum alium vero ordinem Deum Kneph,*  
*tanquam ducem, Diis cœlestibus (Mercurius) præ-*  
*ponit. Ait hunc esse mentem seipsam intelligentem*

Ἐ alias intellectiones ad se convertentem. In se-  
 quentibus vero huic KNEPHI subordinantur  
*Amin*, *Phtha* & *Osiris*, quæ tanquam cogno-  
 mina Demiurgi considerantur. *Plutarchus* de  
*Isid.* & *osirid.* incolas Thebaidos ait : *Θνητὸν*  
*θεὸν εἰδέναι νομίζοντας, ἀλλὰ ἂν καλεῖσιν αὐτοὶ Κνή-*  
*φα ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον.* i. Mortalem  
 Deum nullum censere, sed quem ipsi *Knephim* ap-  
 pellant ortus exsortem Ἐ immortalem esse. Ut  
 jam taceam *Cnephim* hunc a *SANCHU-*  
*NIATHONE* apud *EUSEBIUM* Præp. *Evang.*  
 lib. I. c. 10. pro Phœnicum *Agathodæmone*,  
 haberi, ipsumque *EUSEBIUM* cum hierogly-  
 phico ejus Dei supremi descriptionem a *ZO-*  
*ROASTRE* allatam conferre. Quo etiam  
 pertinet, quod *Asclepiades* apud *DAMASCI-*  
*UM* *περὶ ἀρχῶν* tres eo nomine Deos fuisse a-  
 pud Ægyptios contendit. Atque ita forte  
 conciliari cum *JAMBlichO PORPHY-*  
*RIUS* apud *EUSEBIUM* l. c. lib. III. c. II.  
 poterit, quorum ille, uti visum est, *Cnephim*  
 a Demiurgo distinguit, & superiorem facit,  
 hic vero ait : *Τὸν δημιουργὸν Κνήφ οἱ Αἰγύπτιοι*  
*προσαγορεύουσι.* Idem Patrem esse Vulcani seu  
*Phtha*, ex quo *JAMBlichUS OSIRIN* facit,  
 memorat. Ex quibus abunde patet, tantum  
 abesse ut *Deastrum* hoc speciale aut igno-  
 bile Ægyptiis fuerit, ut potius *primarium*  
 in genealogia Deorum apud eos obtinuerit  
 locum.

XXIX. Si ergo ratio quædam probabilis  
 produci poterit, cur אֱלֹהִים seu ALARUM &  
 præcise BINARUM mentio fiat, quæ potis-  
 sima est Viri Incomparabilis difficultas, nulla  
 supererit caussa admodum fontica, cur inge-  
 niosa *Steph. LE MOYNE* conjectura sepona-  
 tur. Nobis id ex intima Ægyptiorum Theo-  
 logia petendum videtur. Sanctissimum apud  
 eos hieroglyphicum, quo Deorum totiusque  
 mundi generationem proponere solebant, ex  
 DUABUS præcise constabat ALIS, quæ ex su-  
 periori parte *globi*, seu *disci*, seu quod nobis pro-  
 babilius videtur *ovi*, prominebant, quibus *ser-  
 pentes bini* in inferiore ovi ejusdem parte con-  
 spicui respondebant. Pictura hæc erat totius  
 universi. ALÆ supremam Deitatem, ser-  
 pentes spiritum vitalem, ovum seu globus  
 ipsum mundum effingebat. Emblema hoc  
 frequentissimum est ornamentum, quod su-  
 per capita *Isidis Osiridis*, ut & *cornigeri Api-  
 dis*, conspicitur. Consule sis tabulam *Isia-  
 cam* a *KIRCHERO* *Oedip. Ægypt. Tom. III.*  
*Syntagm. 1.* & *Laur. PIGNORIO* illustratam.  
 Pingitur etiam super caput *scarabæi mystici*.  
 Aliquando vero solum comparet, uti vide-  
 re est in *Sarda*, quam *Pignorius* l. c. p. 20. af-  
 fert: & frequenter in limbo tabulæ *Isiacæ*  
 modo commemoratæ, uti & in *Obelisco*  
*Flaminio* apud *Kircherum* *Oedip. Æg. Tom.*  
*III. Synt. 3.* Duplex hujus picturæ schema fi-  
 gura addita ob oculos ponit. Prius sistit ala-

tum ovum, uti separatim pingitur: posterius vero, uti capitibus idolorum Ægyptiorum imponebatur.



Annon igitur merito Ægyptus terra duabus alis obumbrata dicebatur, quæ sub ALARUM PARI quicquid divinum atque sacrosanctum erat, exprimebat? Accedit, quod figuram hanc Cnephis (seu Emeph, uti vitiose legit) repræsentamen fuisse statuat Athan. KIRCHERUS in Prodromo Copto & Oedipo passim. Neq; spernenda est hæc ejus conjectura. Figura enim hæc cæterorum Deastrorum capiti superimposita, supremam, unde illi orti censebantur, & cujus quasi repræsentamentum erant, Deitatem in mentem revocabat. Hanc figuram ex parte saltem refert PORPHYRIUS apud EUSEBIUM l. c. lib. III. in descriptione Cnephis alati: τὸν δὲ θεὸν τῶν, ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ προαίεσθαι φασὶν ὦν, ἐξ ἧ γενναῖσθαι θεὸν, ὃν αὐτοὶ προσαγορεύουσι Φθα, οἱ δὲ Ἕλληνας Ηφαίστον, ἐρμηνεύειν δὲ τὸ ὦν τὸν κόσμον ἢ. Hunc porro Deum ex ore ovum effudisse narrant, ex eoque satum alium esse Deum, qui ab iis Pthha, Vulcanus

canus a Græcis nominetur. ( Hunc eundem cum Osiride & Amune seu Jove Ammone esse habitum, jam vidimus. Eundem in hieroglyphica figura serpentes ex ovo profilientes innuebant ) Ovum autem illud mundum interpretantur.

XXX. Has ALAS Ægyptum obumbrantes ex umbra alarum Jehovah, quam columna nubis dabat, originem traxisse facile mihi persuadeo, præsertim cum Symbolum istud præsentia divinæ antiquius esse, quam vulgo creditur & jam Patriarchis sub tempore promissionis exhibitum esse conjectare liceat. Accedit convenientia significationis. Ut enim plenissime constet κνηϕ a ηϑω esse, audiatur iterum PORPHYRIUS l. cit. hanc rationem alæ in capite Cnephis reddens: ὅτι λόγος δυσεύρετος καὶ κεκρυμμένος, καὶ ἔφανός, καὶ ὅτι ζωοποιός, καὶ ὅτι βασιλεύς, καὶ ὅτι νοερώς κινεῖται, διὸ ἢ τῆ πλερῆ φύσις ἐν τῇ κεφαλῇ κεῖται. Id est: quia Ratio inventu difficilis & oblita nec palam apparens, & quia vitam præstat & quia regnat, & quia cum intelligentia movetur. En Cneph non tantum cum λόγῳ collatum, sed etiam cum columna nubis apprime convenientem, quæ simul Ducis Regisque in Israele vices gessit, simul lucem divinam & humanam quandam Dei in ea habitantis formam ita sepsit, ut nisi in certis casibus coram externis oculis non appareret. Confer, quæ heic ex sacris contulit HUETIUS Dem. Ev.

ang. Prop. 4. p. m. 143. Nos enim demum fas est in orbitam redire.

XXXI. Abunde enim jam constabit, emphatice & templum, & eum, quem in templo adorare Judæi volebant, sub ALÆ emblemate proponi. Neque obstat numerus *singularis*, cum enallage numeri, tum alias, tum in voce כנף sit frequentissima. Hinc Gen. I. 21. עף כנף & frequenter צפור כנף *volucris ala* id est alata, quamvis geminis alis gaudeat. Et Proverb. I. 17. avis dicitur בעל כנף. Sic etiam Jef. X. 14. *neque est, qui agitet alam*, id est alas. De ipso Deo Israelis synonyma vox אברה, quæ alam majorem, qualis est aquilina, seu accipitris, designat, singulariter usurpatur Pf. XCI. 4. באברתו יסך לך sub ALA sua obteget te, & sub alis illius receptum habebis: scutum & parma est veritas ejus. Enallagem hanc observavit in nostro loco Lutherus כנף pluraliter reddens: Bey den Flügeln wird stehender Greuel der Verwüstung.

XXXII. Patet igitur, templum, templique habitatorem, ALAM seu præsidium Israelis fuisse, dum fœdus Dei servabat. Verum hac gloria præcipue sub templo secundo ex- cidit. Non tantum enim inter defectus ejus שכנה, per quam nubem gloriæ intellectam esse censemus, merito numeratur, cum nullum columnæ, quæ alis suis tabernaculum obumbravit, ipsumque Salomonis templum implevit, in ea conspectum sit ve- sti-

stigium ; sed etiam Deus ipse populo impio atque obstinato tutamen suum paulatim subtraxit. Rite tamen nomen ALÆ servari potuit idque duplici sensu. *Primo* ipsum templum *ala* etiamnum dici poterat, quia sanctissimi hujus Republicæ Israeliticæ Palladii repositorium quondam fuerat. *Secundo* id per *alam* designari potest, quod a Judæis *alæ*, quæ antea eos obtexerat, substitutum erat, & in quo fiduciam carnis repositam habebant, quo pertinebat ipsum iterum templum, totumque choragium cultus Levitici, justitia ex operibus, prærogativæ carnis &c. Nam sicut *Deos* scriptura per ironiam sæpissime appellat id, quod vero Deo substituitur, & in quo fiducia, soli supremo Numini debita, collocatur, ita & *ala* Israelis poterat dici id, a quo præsidium istud sibi promittebant, quod a propitiato Numine solum expectare debuissent. Atque postremum hunc sensum præferimus, quia planior est, & certo respectu priorem involvit. Templum enim ipsum potissimum Judaicæ superstitionis objectum erat.

XXXIII. Atque inde etiam patet, quo sensu vox אלה עם cum altera אלהים construatur. *Idola & idololatriam* per אלהים in sacris denotari, abunde Interpretes, quos non exscribimus, docuerunt. *Ala* igitur ABOMINATIONUM est *ala idololatrica*, sive *ala profanata* sive *ala abominanda*, secundum He-

braissimum ubique obvium, quo substantivo-  
rum duorum constructorum posterius adjun-  
ctum rei designare solet. Confer GLASSIUM  
de nomine Can. 30. VORSTIUM Philol.  
Sacr. lib. I. c. 9. Quod non tantum locum ha-  
bet in adjunctis ad naturam rei pertinenti-  
bus, sed etiam ei contrariis, ut fœditas atque  
indignitas eorum eo magis appareat. Prov.  
XXIII. 3. לחם מזבים i. *cibus mendaciorum*,  
pro tali re, quæ cum in cibum sumat-  
ur, contrarium, quam quod ab eo exspe-  
ctatur, præstat. Habac. II. 18. מורה שקר *do-*  
*ctor falsitatis*, qui cum pro doctore habeatur  
vera docere deberet, sed contrarium agit.  
Jer. VIII. 14: צור מכשול *rupes offensionis*, quæ ad  
defensionem erecta offensionis tamen ansa est.  
Ad eundem modum emphatice *ala abomina-*  
*tionum* appellatur id, quod pro tutamine suo  
Judæi sint habituri, & propterea sacrosan-  
ctum iis esse debebat, sed quod contra natu-  
ram suam fœdissima idololatria inquinatum  
erat. Atque ita secundum criterium recte se  
habet.

XXXIV. De tertio dubitari posset, cum a  
crassiori idololatria Judæi sub templo secun-  
do quam maxime abhorruerint, atque etiam-  
num abhorreant. Quare de *abominationibus*  
ethnicorum, quibus Judæam inquinaverunt in-  
vitis Judæis, quam de idololatræ ipsorum  
Judæorum cultu hic potius cogitandum vi-  
deretur. Interea tamen hoc simplici verbo  
rum

rum Danielis sensui repugnaret, quæ desolatorum tanquam vindicem harum abominatio-  
 num considerant. Unde sequitur, tales desi-  
 gnari, quarum ipsi Judæi rei erant. Neque  
 nos heic destituit verbum propheticum, quod  
 Judæos circa & post Messiaæ adventum tur-  
 pissimæ idololatriæ incusat. Vel unum Mosen,  
 potissimum Judæorum κατήγορον, audiamus.  
 Ita ille Deut. XXXII. 16. 17. 21. שקצים eo-  
 rum graphice delineat: Ad Zelum provoca-  
 bunt ipsum per alienos, per ABOMINATIO-  
 NES ( בתועבות ) facient ipsi egre. Sacrifica-  
 bunt Demonibus, non Deo, Diis, quos non nove-  
 rant, novis, qui e propinquo venerant, quos non  
 formidaverant patres vestri. Confer sis Deut.  
 XXIX 18. 19. Ps. XVI 4. Jes. VIII. 18. Hof.  
 II. 13. Mal. II. 11. &c. Neque deest locus, ubi  
 ipsa vox שקצים de cultus Judaici post tempo-  
 ra Messiaæ profanatione emphatice adhibetur.  
 Sic Jes. LXVI, 3. Qui jugulat taurum, percutit vi-  
 rum; qui sacrificat parvam pecudem, decervicat  
 canem: qui adolet munus, sanguinem porci: qui  
 facit flagrare thus, benedicit vanitati. Etiam illi  
 elegerunt vias suas ובשקוציהם נפשם חפצה  
 IN ABOMINATIONIBUS SUIS anima eorum  
 deletatur. Ex his liquet per שקצים non tan-  
 tum idololatriam proprie dictam sed etiam  
 mysticam intelligi posse. Eadem ergo ratio-  
 ne, qua Israelitæ in deserto tabernaculum  
 Dei portantes Molochum coluisse dicuntur A-  
 mos V, 25. 26. qua sacrificantes Deo a Mose

incusantur sacrificasse demonibus, qua domus Dei dicitur spelunca latronum, Luc. XIX. ala sanctuarii & gloriae divinae heic nuncupatur ala abominationum. Atque ita per se concidit dissentientium contra hanc interpretationem potissima objectio, quasi templum nequeat ala detestationum dici, quod illud toto capite vocatur sanctitas, tum quod nusquam in sacris literis templum Hierosolymitanum tam abominando insignitur titulo, atque vocatur ala detestationum, quae verba sunt Cl. Jungmanni ad Dan. P. I. p. m. 89.

XXXV. Neque negligendus est numerus pluralis ABOMINATIONUM, quem prophetia adhibet. Nam ille innuit varias species & gradus, quos idololatria Judaeorum mystica involvit. Referri igitur huc debent, impiae de Deo ejusque virtutibus opiniones, atheismus Sadducæorum, pharisaismus justitiariorum, magiae studium, apostasia a Christo in carnem veniente, confederatio cum Romanis ad eum opprimendum, cultus typici, post ejus abolitionem per sacrificium Christi præfracta defensio, Spiritus sancti per Christum ac Apostolos se manifestantis blasphemiam & exacerbationem: quae omnia simul sumpta DESOLATIONEM maturabant. Latissimum hunc, quin & latiore sensum agnoscit Abarbanel ad h. l. ביאר שהיה זה הרע כלו על כנף שקוצים משומם שעל השקוצים שהם היו עושים בני יהודה בזמן בית ראשון ובית שני היה משומם וחרב ירושלים ומקדש

i. *Explicat hoc ita, quod hoc omne malum oriundum sit, nempe propter abominaciones, quas perpetrarunt filii Judæ, tempore templi primi & secundi, urbem & templum destruxit. Confer R ABEN-DANA spicilegio ad Michlol Jopbi fol. 206. col. 2.*

XXXVI. Quæ cum ita sint, evidens inde est, Salvatorem nostrum, quando commemorat τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, ἐς ὧς ἐν τῷ ἁγίῳ, necessario per βδέλυγμα peccatum esse intelligendum, quod desolationem provocabat, adeoque ABOMINATIONEM quandam cujus Judæi erant rei, quæque totum Dei cultum invertebat ac profanabat. Atque id confirmatur amplius per ipsam phrasin a Domino additam ἐς ὧς ἐν τοπῶν ἁγίῳ, quam exegeticam esse τῷ ἁγίῳ, ipsumque templum denotare ab OLEARIO & aliis Viris doctis recte est observatum. Quamvis enim certo respectu tota Canaanis regio ita dici potuisset, *terraque sanctæ* nomine inclyta est, non putem tamen exempla esse, quæ hanc præcise phrasin: τὸ πᾶν ἁγίον aliter quam de templo, adhibeant. Illud enim per excellentiam מקום, ΤΟΠΟΝ dictum esse probarunt CAPPELLUS Comment. p. m. 76. LE MOYNE ad Jerem. XXIII. p. m. 165. sq. Unde procul dubio ansa est subnata, ipsum Deum מקום LOCUM dicendi, de quo vocis apud Judæos usu consulendi sunt RAYMUNDUS Pug. Fid. p. m. 540. & 720. HAKSPANIUS Cabbal. Jud.

§. 99. P. PETIUS Miscell. Observ. II, 9 FABRICIUS ad Empiricum p. 639. Sed & Hellenistæ strictius Templum ΤΟΠΟΝ ΑΓΙΟΝ dicebant. Exod. XXIX. 31. καὶ ἐψήσεις τὸ κῆρα ἐν ΤΟΠΩΙ ΑΓΙΩΙ. Et Levit. VI, 16. 26. diserte ΤΟΠΟΣ ΑΓΙΟΣ per atrium tabernaculi explicatur. Sic & Lev. X, 13. 14. 17. XIV, 13. XVI, 24. XXIV, 9. 1. Paral. XVI, 27. ἰσχυρὰ καὶ καύχημα ἐν ΤΟΠΩΙ ΑΓΙΩΙ αὐτῶ. Πρ. XXIV, 3. Ἡ τίς ἐψήσεται ἐν ΤΟΠΩΙ ΑΓΙΩΙ αὐτῶ; Adde Eccl. VIII, 10. Jes. LX, 13. Ezech. XLII, 13. Hos secutus est Petr. Apollon. Collatius Excid. Hieros. L. IV. ubi de Tito urbe potito:

-- -- Nam parcere SACRO  
 Ille LOCO, saltemque urbis monumenta manere  
 Una cupit - -

Contra tot exempla ne unum quidem adferri potest, nisi velis eo trahere Jos. V, 15. ubi in confiniis Hierichuntis apparens Filius Dei ad Josuam dicebat: ο τοπος, ἐφ' ᾧ σὺ ἐσηκας, ΑΓΙΟΣ ἐστὶ. Verum eadem hic quadrat ratio, propter quam templum dicebatur LOCUS SANCTUS, nempe quia visibile hic signum præsentiæ divinæ occurrebat. Confer Exod. III, 5. Apud prophanos authores eadem dictio de templis non est infrequens. PERSIUS Sat. I. v. 112.

- Hic veto quisquam faxit oletum  
 Pinge duos angues: Pueri, SACER est LOCUS:  
 Extra Mesite. - -

CALPHURNIUS Ecloga II.

- *Ite procul, SACER est LOCUS, ite profani.*

Præcipue adyta templorum ita appellabantur.

JULIUS POLLUX Onomast. lib. I. c. 1. num.

6. εἴη δὲ ἂν ὁ μὲν εἶσω τῶν περιήραντιῶν, ΤΟΠΟΣ ἔνθε⊙, ΙΕΡΟΣ, καθιερωμέν⊙, καθωσσωμένος ἀβέβη- λ⊙ i. Porro LOCUS qui intra aquiminaria est, divinus SACER, consecratus, devotus; sacrosanctus dicitur.

XXXVII. Cæterum id apprime observandum est, verba Domini strictiori sensu sumenda esse, quam verba Danielis. Nam 1) de *visibili* quadam ABOMINATIONE loquitur: Όταν ἴδητε. 2) de tali, quæ immediate excidium præcedebat, quia visa hac abominatione fuga erat præcipitanda vs. 16. Atque huc etiam referendam censeo varietatem, quam nullus Virorum doctorum, quos mihi quidem consulere licuit, observavit, scilicet, cum Daniel ABOMINATIONUM ⚔ in plurali meminisset, Salvator noster ΤΟ ΒΔΕΛΥΓΜΑ seu ABOMINATIONEM ILLAM in singulari, præfixo etiam articulo demonstrativo, quasi diceret ⚔, commemorat. Hujus diversitatis palpabilis est ratio, nempe non tantum, quia Græci interpretes τὸ ⚔ singulariter per βδέλυγμα transtulerunt, sed etiam quia Gabriel omnes nefandæ idololatriæ & apostasiæ species simul innuebat, Salvator vero unam quandam, postremam, reliquas vincentem, & proxime cum de.

desolatione junctam, quæque propterea *κρίσις* poterat το βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως dici, innuebat. Quibus omnibus recte pensitatis, nullam causam satis fonticam puto, cur a sententia Virorum per βδέλυγμα hoc profanationem templi Zelotarum facinoribus institutam intelligentium in transversum abeamus. Nolumus in factò hoc quod prolixè JOSEPHUS exsequitur, enucleando & cum prophetia conferendo operam insumere, ne actum agere videamus. Consulantur tantum præter interpretes egregios DANÆUM, COCCÆJUM, MELCHIORIS, Adrianum PARS, & ex ipsis Pontificiis TOSTATUM, BARONIUM, JANSENIUM, HESSELIUM, SURENHUSIUS Concil. loc. V. T. p. 273. sq. Singulare est illud, quod ipse JOSEPHUS profanationem templi a Zelotis institutam ut proximam *desolationis* causam plus semel considerat bell. Jud. lib. VI. c. 11. VII. 4.

XXXVIII. Objicitur quidem, non convenire cum Zelotarum tyrannide consilium *fugæ*, quod Salvator statim subjungit, quia omnes exitus custodibus obsidebantur, quando Zelotæ templum tenebant, ex quo infertur, fugam non tantum difficilem, sed etiam *fere impossibilem* fuisse. Regeri autem potest: 1) Ipsa Domini verba fugam difficilem & periculosam satis innuunt. 2) Locus ex JOSEPHO citatus de bello Jud. lib. V. c. 2. aditus, qui ad Romanos versus mare, ducebant, proprie

prie concernit, quos Zelotæ transfugis pro virili claudebant. Apertior erat regio versus desertum & Jordanem, trans quem PELLA erat sita, commune illud Christianorum e naufragio Reip. Judaicæ enatantium receptaculum, quo Jesum præcipue respexisse credibile est. Sed nec ad ipsos Romanos ita omnis transitus erat interceptus, ut non multi elaberentur. Audiamus ipsum JOSEPHUM l.c. ubi, postquam narratum erat, Vespasianum studio obsidionem Hierosolymæ de die in diem distulisse, additur: *Mox apparuit, quam utile fuisset ejus consilium. Namque in dies singulos multi ad eum consuebant, fugiendo Zelotas. Erat autem fuga difficilis, quod omnes exitus custodibus obsidebantur. Et si quis ibi qualibet ex causa deprehensus fuisset, velut ad Romanos ire cuperet, interficiebatur, qui tamen eis dedisset pecuniam, salvus abibat, & qui non dabat, solus proditor habebatur.* 3) Notari præterea potest, ab hoc tempore ad ultimam Hierosolymorum obsidionem annum unum & alterum effluxisse, quo temporis intervallo & fugæ opportunitas observari poterat, & sæpe actu observata est. Ita sane deinceps c. 3. idem JOSEPHUS addit: *Denique relictis sedibus patriis ad alienigenas profugiebant, & Romanorum beneficio salutem, quam inter suos desperaverant, assequebantur. Et paullo post: Hæc Vespasiano a transfugis indicabantur. Nam licet omnes exitus a seditiosis custodirentur,*

*cum*


*cum quis ad eos accessisset, interficeretur, tamen erant, qui ad Romanos clam profugerent.*

XXXIX. Denique hæsitatur in loco, qui parallelus putatur Luc. XXI. 20. Όταν δὲ ἴδητε κυκλωμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ, τότε γινώσθε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. Hic enim videtur βδέλυγμα idem esse cum exercitu Romanorum. Verum cum LUCAS in hac ipsa concione etiam alia apud MATTHÆUM memorata prætereat, & a MATTHÆO prætermittitur suppleat, tutius longe videtur statui posse, Salvatorem duo signa temporis, quo fugiendum erat ex urbe conjunxisse, quorum unum, quod Judæos spectabat, a Daniele prædictum, MATTHÆUS, alterum quod magis ad gentes pertinebat, LUCAS scripto conservare voluit.

XL. Cæterum per obsidionem illam, de qua Christus apud LUCAM agit, non postremam *Vespasiani*, sed priorem *Cestii* intelligimus, postquam solutam statim tumultus Zelotarum sunt insecuti. Cum enim Vespasianus corona urbem cingeret, discipuli Domini inde jam aufugerant. Obsidio ejus non erat signum ἐρήμωσιν antecedens, sed ipsa ἐρήμωσεως consummatio. Fuga, quam suadet Dominus discipulis, nimis sera tum fuisset. Ut jam præteream ab omni verisimilitudine abhorrere, discipulos Christi, ad quos hæc monela spectat, sub civilibus Zelotarum tumultibus, qui sacra & prophana omnia permiscebant,

bant, potuisse amplius in urbe, & quidem usque ad Titi adventum perdurare. Optime igitur Cl. DU VEIL in Matth. XXIV. scribit: *Cum Lucas dicit, cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, scilicet sub Cestio (tunc enim erat fugæ locus, non sub Tito) non designat ipsam abominationem desolationis sed potius, tempus quo illa mox esset apparitura, & quo deberent de fuga cogitare ex Jerusalem & Judæa, eo quod brevi instaret ejus consummatio.* Et quod GOMARUS Opp. P. I. p. 128. opponit contra hanc sententiam, nullius est momenti. Ait enim primo, *obsidionem Cestii diu antecessisse urbis & templi desolationem: ideoque fugæ tam celeris nullam fuisse necessitatem.* Regerimus, sexennium tantum hanc expeditionem Cestii ad summum totale excidium Titi anticipasse. Et statim post discessum probrosam Cestii Judæa tota cladibus immensis fuit impleta. Quin hoc speciatim fuisse intervallum, quo Christiani urbe & regione excefferunt, nulli dubitamus. Addit secundo: *Obsidionem, quam Lucas memorat, causam fuisse illius desolationis.* Unde & obsidionem Vespasiani utique intelligendam esse existimat. Sed gratis. Nil aliud Evangelista innuit, quam ad signa desolationem præcedentia hanc obsidionem pertinere. Cum autem Cestii obsidio successu omni caruerit, ac brevi cum summo ejus opprobrio soluta sit, non satis comode illa abominatio *ἔσως* stans seu persistens in loco sancto nuncuparetur. Quæ cum ita sint  
di-

diversa interitus Hierosolymæ signa a MAT-  
THÆO & LUCA commemorari patet  
J. Q. E. D.



III.

JACOBI HASAEI,  
*De*  
ONONYCHO ET E.  
*Christianis cujusdam verpi nequi-  
tia, afficto Numine.*

ad elucidationem eorum quae hac de  
re apud *Tertullianum* reperimus.

EPISTOLA,

*Ad virum Celeberrimum Eruditissimumque*

JOH. PHILIPPUM HEINIUM,

Historiae Ecclesiasticae & Humanio-  
rum litterarum in illustri Gymnasio,  
quod Halae Venedorum est,  
Professorem Clarissi-  
mum.

Tertullianus L. I. ad Nation. Cap. 14.

*Nova jam de DEO NOSTRO fama suggestit:*  
adeo

adeo unper quidam perditissimus in ista civitate, etiam suae religionis desertor, solo detrimento cutis JUDAEUS, utique (vel uti harum) magis post bestiarum morsus, ad quas se locando quotidie toto jam corpore decutit: Et cum (vel eum) incedit picturam in Nos proposuit (vel pictura in nos prolata) sub ista proscriptione ONOCHOETES. Is erat auribus cantheriorum & in toga, cum libro, altero pede ungulato; & credidit vulgus Judaeo. Quod enim aliud genus est seminarium infamiae nostrae? Itaque in tota civitate ONOCHOETES praedicatur.

Idem Apologetici Cap. 16.

Nova jam DEI NOSTRI in ista proxime civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis (vel in frustrandis) bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & NOMEN & formam.

DISSERTATIONIS ARGUMENTUM.

Occasio scripti §. 1. Emendatio vocis *onochotes* in *ononychotes* dudum observata a J. B. Pio, qui & lectionem *ononychites* primus indicavit. §. 2. Nonnullae quae illi obstare videntur. Locus Tertulliani nuper ter excussus. Liber ea de re cl. del Monaco. §. 3. Ad aliam emendationem via sternitur eruendam ex collatione discrepantiae lectionis in utroque loco Tertulliani. *Apologeticus & libri ad nationes sunt*  
 Class. III. Fasc. VI.                      XXX                      ejus-

eiusdem libri *editiones* diversae. Salmasii *observatio*.  
 §. 4. Ostenditur legendum esse *ononychoetes* vel *ononychoitis* uti latinis scriptum pro graeco *ὄνονωχοειδής*.  
*Ridiculi* quid in hoc nomine occurrat, docetur. §. 5.  
 Corruptae huius scripturae aberrationum fontes ex  
*pronuntiationis* & litterarum *affinitate* eruantur. §. 6.  
 Lectionem nostram probat vocabulum *ὄνοειδής* quo  
 Ophitarum *DEUS* insignitur. Ex publico sermone  
 de Christianorum Deo deprompta & vox & pictura. §.  
 7. *Autor* imaginis fuit *Judaeus* in cuius nota Chara-  
 cteristica Tertullianus ad *circumcisionem* alludit. Con-  
 ciliantur verba eiusdem qua illum *suae religionis de-*  
*sertorem* vocat. Est contra *leges* Judaicae religionis  
 pingere *Deum* in *imagine*. §. 8. *Ista* civitas in qua  
 hanc exposuit picturam *Judaeus* videtur *Carthago* fu-  
 isse, non *Roma*: occurritur *objectionibus*. §. 9. *Utrum*  
*auribus asininis* humanoque vultu, an *capite integro*  
*asinino* pictus *Deus ononychoetes* disquiritur. *ὄνοειδής*  
 idem quod *ὄνοειδής*. §. 10. Num *ononychoe-*  
*tes* uno tantum pede an *utroque* fuerit *ungulatu*? Uti-  
 tur Tertullianus stylo *Ictorum* quibus alter saepe de  
*duobus* ponitur. *Virgilius* illustratus. §. 11. *Liber*,  
 quem tenuit, indicat eum *legislatorem*. Illustit *Judae-*  
*us* hac *imagine Christo* & *libris Nov. Test.* *Gentibus*  
*Christus* est *Christianorum legislator*, *liber*, *Codex*,  
*βιβλα* pro *libro legum*. §. 12. *Conjectura* propo-  
 nitur cur & *toga* indutus fuerit *joci causa*. §. 13. *con-*  
*clusio*. §. 14.

I.

**I**n signi me beneficio mactasti, celeberrime  
 Heini, quod *observationum* tuarum li-  
 brum *secundum* una cum *Paganini Gauden-*  
*tii* *schediasmate* de *Philosophia Romano-*  
*rum*, quibus fasciculus II. & III. *Novae va-*  
*riorum librorum collectionis* apud vos Anno  
 1717 excusae, constat, in amicitiae  
 no-

nostræ, dudum heic loci cœptæ nec unquam  
 dein reconciliatæ, pignus ad me miseris.  
 Quo nomine cum plurimæ tibi gratiæ a me  
 debentur, tum longe maximæ pro volupta-  
 te quam ex lectione elegantissimarum tuarum  
*observationum* hausi, quarum & in Bibliotheca  
 nostra Cl.I. Fasc.I. p.170. cum laude, nec im-  
 merita, mentionem esse factam vidi. Beatum  
 te, mi Heini si uxor tua, quam morum venusta-  
 te ornatissimam amplexibus foves, tam ele-  
 gantes nitidosque *liberos* tibi felici tol-  
 lendos partu dederit, quales tu *libros* eru-  
 diti seculi peperisti delitio. Ego quidem  
 multoties de ἀντιδώρω, quod redhonesti-  
 menti loco pro muneribus tuis ad te mit-  
 terem, cogitavi; sed cum ea sit eruditionis  
 meæ penuria, quo pertimescendum mihi fo-  
 ret, ne aurea æreis compensatione, inter nos  
 illa Glaucci atque Diomedis χρύσεια χαλκείων  
 permutatio revivisceret; alia ratione huma-  
 nitati tuæ obviam eo, qua, cum eruditione  
 pari tecum in certamen gloriæ venire haud  
 possim, id fortasse effecero ne forsitan in poste-  
 rum me litterariis donis in eandem palæ-  
 stram provoces. Id enim agere me velle his  
 litteris (quibus quædam aliter atque tu sentis  
 in hoc libro, in medium proferam) conjici-  
 es, quo constet tibi, adversarium quodammo-  
 do te beneficiis tuis demeruisse, ne impune  
 videlicet iste tuus in me amor tibi cesserit. De  
 quibusdam nimirum, quæ Cap. V. L. II. ob-  
 serv. de *onymoto Christianis afficto numine* cona-

mentatus es, dubitare cœpi numne forsitan alia, atque tibi visum fuit, sententia, explicari possent. Quæ licet tanti haud sint, ex amicitia tamen legibus tibi exponenda esse iudicavi, quo eadem arbitrio tuo, quo stabunt cadentque, atque excellenti, qua præditus es, vi iudicandi, submitterem.

II. In ipso rerum primordio tibi, vir doctissime, de felicitate ingenii gratulor, quod in restituendo hoc monstro vocabuli & picturæ simili apud Tertullianum, quod est *onochuetos* vel *ononychites*, in feliciorum ac ceteris quidem viris contigit eruditis, conjecturam incidere, qua ONONYXΩΤΟΣ ONONYCHOTUS substituendum esse §. 18. harrilatatus es. Nihil enim horum iis quæ Grammaticæ leges, indolemque Graji sermonis spectant, compositionisque rationibus adversa forent, objici posse video. Prætereaque ea vox ita comparata est ut verbis Tertulliani valde sit adposita, utpote qui picturam hanc (1) *aves* easque; (2) *asininas* seu *cantheriorum*, alterumque (3) *pedem* insuper *ungulatum* exhibuisse commemorat, quæ singula voces, ex quibus hoc compositum vocabulum, ὄν & *asinus*, ὄν & *ungula*, & ὄν, ὄν & *auris* complectuntur. Ea propter haud dubito, siquidem eruditissimus *Sigebertus Haverkampius*, qui nuperrime *Apologeticum Tertulliani* elegantissimis notis illustratum Lugd. Batav. 1718. edidit, tuas animadversiones oculis conspexisset, eaque quæ *Rigaltiana* conjecturæ §. 10. opposuisti, quam

& ipse amplectitur ο'νοχοίτην legens, quasi turpi in cæcha cum *asino* concumbente prognatum Deum innuat Presbyter; haud dubito, inquam, quin eam missam fecerit, nec textui intulerit. Tuam enim multo magis verosimilem judicarem. Injucundum tibi haud tamen erit, Celeb. *Heini*, observasse & tuam conjecturam non modo probasse *Vossium* simili quapiam ut §. ult. ipse memoras, sed & eandem jam animadvertisse *Joh. Baptist. Pium* in Annotat. Posterior. ad varia veterum scriptorum loca, quæ T. I. Thesaur. Crit. *Jani Gru-teri* insertæ. Is enim Cap. CXX. de hoc loco agens, scribit in fine. *Quid si legis in Septimio ONONYCHOTITIS ab ono id est asino, onyche, id est ungue, & ottide id est AURE. Posses quoque in eodem significatu legere ONONYCHOTUS.* En eandem observationem viri qui principium renascentium litterarum ætate adspexit! Prior lectio ejus videtur ea laborare difficultate, quod ὠτίς quidem *auriculam* denotet, non vero ὠτίτης. Qui itaque inde OTITIS resultaret terminatio? Sic componitur ἀμφῶπις, Διῶπις, μηλῶπις, ἐξωτίς &c. At cum & ὠτίτης proba vox sit Græcis, inde, ceteris pariter quæ de permutatione η & ι deinde mus animadvertis, nec adeo alienam esse & repudiandam continuo hanc conjecturam, animadvertimus. Sic ὠτίτης δάκτυλος est ille *digitus* Græcis quem Latini vocant *Auricularem*. Sunt vero & alia quæ ad hujus loci lucem ex eodem *Pio* notari possunt, obiter heic loci me-

moranda. Et primo quidem, olim in antiquis editionibus Tertulliani extitisse hanc vocem per *onochoistis* expressam. Ita enim scriptum esse in exaratis manu codicibus *se passim comperisse* testatur. Hanc enim alii haud commemorant lectionem variantem. Tum (2) non primum fuisse *Heraldum*, ut quidem putas Vir clarissime, §. 16. qui vulgatam *ὄνοχυλῆτις* urserit lectionem. Nam & *Pio* huic, qui multum anteivit ætate *Heraldum*, eadem nata est hariolatio, ut ibidem loci testatur. *Emendo*, inquit, *ex verbis Tertulliani ONONYCHITES*. *Erit enim dictio composita more Græco ἀπὸ τῆς ὄνης καὶ ὀνόχων hoc est ab asino & unguibus, quo pictor ille mercenarius &c.* Hæc tamen eo animo minime exhibeo quasi de gloria inventionis tibi palmam reddere dubiam contendam. Potest enim eadem hariolatio variis ingeniis observari quorum neutris inter se quidpiam fuit in re ipsa commercii. Hoc non modo in numeris accidisse eruditis deprehendi, sed & ipse multoties expertus sum quidpiam *ἐυρήματῳ* mihi incidisse, quod, ut nullibi me legisse memini, ita & nemini observatum censebam, postea tamen & alios idem sæpius dudum antea quam natus essem cogitasse, forte fortuna deprehenderim. Interea tamen loci unicuique candide rem profitenti inventionis gloria tribui & potest & debet. Sic & *Morelli* conjecturam, qui *ὄνοχλητῳ* legendum cupit, quamque §. 14. repudiandam esse docui-

cuius, dudum antea protulit Rhodiginus L. XXX. Antiq. Lect. Cap. 21. Neque minus ut alio utar exemplo, egregiam emendationem loci apud Aristophanem Pluto vs. 1012. quam illustris *Bentlejus* protulit, nonnullis & a me ipso illustratam Bibl. Theolog. Cl. I. Fasc. III. Sect. IV. §. 9. coll. §. 7. 8. maxima ex parte jam observasse *Tanaq. Fabrum* in Lucretii L. IV. pag. 497. deprehendas. Interea tamen loci rectissime *Bentlejo* egregium hoc *εὐρημα* vindicat *Kusterus* in corollario quod in fine editionis, quam curavit, Aristophaneæ, *Bentleji* que notis addidit.

III. Quæ licet ita se habeant, magnopereque mihi tua, V. Cl. conjectura præ ceteris arideat, quominus tamen in castra tua plane secedam, hoc adversi est, quod ea lectio *ononychitus* nonnihil recedat ultimis litteris a terminatione vulgatæ lectionis. Nam *otus* non usque adeo convenit cum *ites* aut *oetes*, vel *oistis*. Proinde, si magis adposita vox, quæ vulgatam lectionem ne unius quidem litterulæ privat apice, depromi ex græca lingua possit, huic certe principem præ ceteris locum dandum esse contenderem. Maxime si eadem verbis Tertulliani rebusque hac de re commemoratis satisfaciat. Qua in causa jure meo tuis verbis utor, mi Heini, quæ §. 16. lego. *Equidem haud diffitemur vulgatam lectionem ononychites non temere videri rejiciendam, cum ε in antiquissimis animadvertatur editio-*

nibus & ad primigenium impressa videatur exemplar, & aliquam tabulae pictae partem exhibeat. His si hoc accedat, ut ex voce a me depromenda omnes diversae lectionis (quippe non *onochoites* modo, sed & *onochoetes*, *onochoitis*, *onochoisit*, vel *onocholtes* se in codd. Mscr. testantur reperisse eruditi) difficultates tolli, discrepantiaeque in scribenda barbara voce *origines* tradi possint, haud dubium erit, quin eo facilius eadem admitti debeat. Quotumvis enim obscurissimus hic locus variis conjecturis vexatus sit, quarum vel *quatuordecim* ipse observasti, vir celeberrime, atque erudite examinasti §. 8. sqq. quibus & aliorum addi possent ut P. Criniti legentis *ἀνοχνητ* & L. I. de Honest. Discipl. Cap. 9. & J. B. Pii antea relatam *ononyhotitis*. Nec minus quamvis intra quinquennium ille locus peculiari industria, tum a te ipso, tum a dilectissimo conjunctissimoque fratre meo *Theodoro Hasæo* in Cap. I. §. II. diff. de *ονοαλπειας* crimine *Judeis* & *Christianis* impacto, tum in ultima Italia Neapoli A. 1715. à *Jacobo Antonio del Monaco*, peculiari libro in forma quadrifariam partita, sit illustratus: nondum tamen, singulis his scriptis vestris perlectis, ita a vobis exhausta esse omnia intelligebam, quin & meae tenuitati aliquod spicilegium reliqueritis. Ex fratris tamen reverendi tuisque animadversionibus pluris omnino me profecisse grato animo agnosco quâ ex universo libro quem *Cl. del. Monaco* hac de re titu-

titulo teste, scripsit; *Discorso in cui si pruova la calumnia del culto Asinino imputato agli antichi Christiani, s'illustra un luogo di Tertulliano &c.* Cum enim librum hunc in his locis rarissimum beneficio memorati fratris mei, qui eum ex Italia ad nos deferri curavit, nactus sim, excussi quidem singula, verum quæ ad locum Tertulliani illustrandum facerent nec aliis satis dicta sint, offendi aut nulla, aut sane perpauca, quæ præterea nec voci difficillimæ enucleandæ, ut quidem a vobis multo studio factum, impensâ sunt, verum, ut aliis, ita de *immagine Christi, & crucis veneratione*, digressiunculis mancipata, nimium sectæ, cui autor addictus est, studium superstitionemque redolentibus. Sed ad rem ipsam.

IV. Urgeo itaque cum fratre meo adversus te lectionē vulgatam *ononychites* quæ & *Barræo, Pamelio* aliisque magno numero perplacet, cui licet varia opposueris L. II. Cap. 5. observ. §. 16. eadem tamen, quod pace tua dixerim, non usque adeo voci ipsæ, quam quidem ejus *explicationi* picturæque adversa sunt. Neque tamen in hac sola lectione adquiesco, utpote quam tantummodo in *Apologetici* editionibus neutiquam vero in libro *ad Nationes*prehendimus, siquidem illic *onochoetes* scriptum extat. Videmus proinde & in ipsius Tertulliani libris *discrepantiam* lectionis eamque maxime animadvertendam. At nequaquam

credo Tertullianum eandem historiam referentem, *diversis* usum esse vocibus. Hinc in eam statim cogitationem incidi, neutro in loco nos veram vocis lectionem reperire, attamen ex utriusque *collatione* veram genuinamque posse elici. Quam ob rem notandum sedulo *utrosque* libros, cum *Apologeticum*, tum ad *Nationes* quos scripsit Carthaginensis Presbyter, *eiusdem* esse *argumenti*, eaque propter uti hanc historiam, ita alia quam plurima, quæ res imo ipsa verba spectant, leviter immutata iterato exhiberi. Haud dubito enim quin verissima sit summi Salmasii de utroque hoc libro conjectura, quam *eiusdem* verbis ex Prolegomenis exercitationum in Solinum depromptis notasse juvabit. DUAS, ait (agens de C. J. Solini Polyhistore) *hujus* EDITIONES fuisse ipse auctor declarat, priorem quidem quam interceptam queritur, & se invito in medium datam, priusquam posita ad perfectum esset, ac summam manum accepisset. Huic titulus fuit, sicut idem asserit: collectanea rerum memorabilium. Posteriores ipsemet recognitam à se atque emendatam emisit *MUTATO* etiam *TITULO*, quem voluit esse Polyhistor - - - Hic mos viguit antiquitus penes litteratos, ut, si alicujus scriptiois eos pœniteret, quam prius in vulgum exire passi essent, altera editione priorem illam abrogarent & abolerent. Græcis præcipue Comicis antiquis hoc in more frequentissime legimus, ut, quibus fabulis non stetissent, sed exacti essent, eas denuo reponerent immutatas &

*correctas - - - In alio litterarum ac scriptorum genere saepe idem factitatum observare est. TERTULLIANI duo libri ADVERSUS NATIONES, quos nuper amicus noster, Vir eruditissimus publico reddidit, IDEM prorsus ARGUMENTUM continent cum APOLOGETICO ejusdem auctoris. Hinc liquet, quod primi animadvertimus (& primus me docuisti) PRIOREM fuisse EDITIONEM duos illos libros AD NATIONES, quos editione innovata in unum contraxit, MUTATA etiam INSCRIPTIONE, (quæ est Apologeticus) ut pluribus ostendam cum opus illud commentariis illustratum in lucem emittam. Ut ut vero hi libri commentationum Salmasii lucem non adspexerint, ipsa tamen res ex utriusque libri lectione unicuique in apricum ponitur, eum in finem heic loci notanda quo appareat quam insigni inde lumine hæc Historia perfundatur, ne mirum cuipiam videri possit, qui eandem historiam utroque in libro iisdem pene verbis scriptam reperiamus, quamque necesse proinde sit, ut in uno non tantum loco vulgatam lectionem corruptæ vocis nostræ, sed & in altero pensi habeamus.*

V. Legamus idcirco vestigia vocis utriusque quarum quamque una alterave littera mancã esse, earundem collatio reddet manifestissimum. In altera enim desunt quæ in altera reperiuntur.

ONONYCH. ITES  
ONO .. CHOETES

Hinc

Hinc suppletis utrobique locorum litteris, simulque junctis, habebis vocem

ONONYCHOETES vel  
ONONYCHOITES

quam ego eandem esse ac quam & verpus ille & presbyter hæc memorans scripserunt, sequentibus de causis hariolor. Ne enim ea repetam quæ antea de utriusq; vocis lectione concilanda conjungendaq; disputavi, quæ sola rei demonstrandæ idonea videri possent: animadvertes facile in posteriori voce litteras NY ob repetitionem τῆς Ν & soni cum NO præcedenti similitudinem, omitti a scriba commode potuisse, ut aliis millenis in locis accidit. Consule *Celeb. Clerici Artem Criticam* Part. III. Sect. I. passim id docentis. Tum necesse est quo littera ο terminationi itis vel etes anteponatur, eo magis quoniam & in quibusdam codd. legitur ΟΝΟ - -CHOITIS. Quippe vocabula, quibus genitivus flectitur in ος, & terminatio casus recti clauditur consona, si cum aliis componantur, ex terminatione genitivi omicron assumere simul solent. Ita ut ex κώνωψ, κώνωπⓄ fit κωνωπσειδής, ex κότων, κότωνⓄ, κατωνσειδής κ. τ. λ. ita & in ὄνυξ, ὄνυχⓄ eadem vocalis servari debet legique non *ononychites*, verum *ononychoites* vel *oetes*. Hanc proinde vocem puram putam *Græcam* esse, sed parum orthographice scriptam, tantumque juxta vulgarem litterarum *pronuntiationem* exaratam contendo. Velim enim animad-

madvertas hujus inscriptionis autorem esse  
 JUDAEUM quibus in orthographia peregrin-  
 narum linguarum peccare oppido persolem-  
 ne est. Hinc benede hac inscriptione Ter-  
 tullianus: *Risus* & NOMEN & *formam*. Uti  
 enim monstrum *ungulatum*, *asinisque auribus*  
 &c. exhibere, cachinnis digna res erat, sic &  
*corrupta* ridiculaque hominis *mercenarii*, ut eum  
 vocat, hoc est *plebeji* & *infimæ sortis*, scriben-  
 di *falsa* litteris æque *falsis* cacoethes sibilis ex-  
 cipienda merito erat. Alias, si compositio  
 vocum diversarum regulis græcæ linguæ re-  
 spondeat, parum sane in *nomine* esset sannis  
 dignum. Risu quidem Christianorum digna  
 videri posset *nova* hujus nominis *compositio*,  
 sed maxime inepta litterarum pictura, quam,  
 nisi quis Græce doctus esset & præterea aber-  
 rationum vulgi in similibus inscriptionibus  
 probe gnarus, quid hac voce & maxime ulti-  
 mis syllabis intenderet, nemo posset adsequi  
 divinando. Habes itaque Græcum nomen  
 ONONTXOEIAHS quod indicat *Christianorum*  
*Deum* hic pictum esse *Asinina ungulataque for-*  
*ma & specie*, quam vocem ille latinis scribens  
 litteris eum, quem exhibet Tertullianus, in  
 modum formavit ob litterarum *pronuntiationis*  
 affinitatem, quam plebeji homines sectan-  
 tur, parum meditates curatæ orthographiæ  
 regulas. Compositionis vero hujus vocis pro-  
 bam indolem ut ex Græcis litteris longa ex-  
 emplorum serie comprobemus, haud opus es-

se censeo. Sic quod deo simile est vocant θεοειδής columbina forma πελαγεοειδής, culicis speciem gerens κωνωποειδής, & quæ infinita his sunt perfamilia. Sic, quod asino quapiam in re simile est, dicitur ὄνοειδής & quod unguis præterea præditum ὄνοουχοειδής. Similitudinis autem ratio cum asino huic picturæ intercedebat, quod esset AURIBUS Asininis vel cantheriorum, adeoque ea ex parte saltem Asinina forma in lucem hominum spectatum admissa.

VI. Quod litterarum discrepantiam spectat, quæ in Græca voce & latina seriptione conspicitur, notandum erit (1) litteras D & T ejusdem organi & fere soni millies permutari, quo facile pro ONONYCHOIDES vel EDES scriptum sit ETES. Hæc pendent a duriori vel molliori pronuntiatione utriusque elementi. In marmoribus antiquis similibusque inscriptionibus & nummis nihil harum permutatione litterarum nosti esse frequentius Ita Βρεντάσιον Brundisium βουργεντιώνες pro Burgundiones, Andrometa pro Andromeda, Cetonium pro Cydonium. Pluribus de hac confusione egit, quæ oppido frequens est, Reinesius ad Class. I. Inscript. CXX. p. 158. Porro (2) Diphthongus ei cum latinis exaratur litteris, transit vel in jota uti εἰδωλον Idolum εἰδύλιον Idyllium, εἰκων Icon, εἰσαγωγή Isagoge, εἰδέα idea, εἰκόσιον Icosium urbs, εἰδωλόθυτον idolothytum &c. Aut scribitur per e uti εἰλώτης Helota, εἰλαπίνη trajectis litteris epulum, εἰρεσιώνη Eresione & sex-

centa alia documento sunt. Latinæ itaque scripturæ apud Tertullinam alteram facile per E T E S alteram per I T I S exaratam per librarium fuisse credimus in locum græcæ ε-δης. Denique (3) veteribus Græcis H pronuntiatum esse ut *Jota* atque cum eadem littera toties permutari, nemo facile ignorabit. Multo minus id te fugiet virum in his litteris longe versatissimum, quod omnes qui de pronuntiatione Græcæ linguæ scripserunt, *Weistenius*, *Henninius*, *Schmidius* aliique abunde docuerunt. Neque minus ignotum erit æque H latinis litteris per E exhiberi. Ita ex. causa *χρησος Christus & Chrestus* scribitur, cujus permutationis occasione ea de re plenissime egit magnum bonis litteris ornamentum & amicus noster communis *Michaël Rossallus* in observatione de *Christo in Chrestum mutato* Groningæ A. 1717. excusa. Verum de singulis his litterarum permutationibus quo frequentissimas esse omnium, maxime in inscriptionibus, ne dubites ex parte ulla, evolvas velim indices *inscriptionum Reinesii & Gruteri* voluminibus subnexos, atque illum qui *Illustris Spanhemii* dissertationibus de *usu & præstantia numismatum* adhæret. Unde scripturam illam E T E S & I T I S ex ΕΙΑΗΣ prognatam esse quis pervidebit eoq; magis eandem admittet, quod simili quapiam nos hic agere, cogitabit. Reliquarum etiam aberrationum, quarum 3. memini, quasque in Mscr. codd. reperiri viri docti notarunt, ratio pendet ex *affinitate ductuum*

ctuum litterarum inter se persimilium. Quocirca cui comperta erit litteræ E cum Græcorum Σ atque cum latinorum L, similitudo, facillimum in modum divinabitur, qui pro *ononychoites* vel *etes* ab imperito librario exaratum sit *onochaites* vel *onochaitis*. Corruptius enim vix voces pinguntur ab amanuensibus, ac ubi voces insuetæ occurrunt & peregrinæ linguæ, quæ latinæ aut vernaculæ intermiscuntur, uti Græcæ periodi apud latinos scriptores Fulgentium, Ciceronem, Apulejum, aliosque documento erant, quarum nonnullas nuper in *Historia Critica Reip. Litterariæ*, restituere integritati annisi sumus, reliquasque alia forsitan occasione illustrabimus. Quod vero Mscr. Lugdunense teste Cl. Haverkampio legat *onochaitissis* erat &c. tantum abest ut nostræ adversum sit conjecturæ, ut eam potius confirmet mirifice. Conjunxit enim duplicem syllabam *is*, quam ita sejungas, *onochaitis*. *Is* erat. In aliis codicibus alterum *is* absorptum est ut frequentissime fieri solet si syllabæ sono & elementis affines semet invicem excipiant proxime.

VII. Augebit vero conjecturæ nostræ in hujus loci lectione verosimilitudinem, si in memoriam revocamus, fuisse inter *Christianos* veteres, quos, seu vera ea sint seu falsa, *Deum* sub *asinina forma* coluisse retulerunt. Dum enim verpus ille *Christianis* exprobrat *auribus cantheriorum* instructum *Deum*, dubio procul

ne-

nequam homo id ludibrii genus ex fama publica, qua ejusmodi quidpiam in vulgus spargebatur, aut ex ipsis nonnullorum hæreticorum, (Si vera ea sunt quæ de his Origenes Epi-  
 piphanius ceterique retulerunt) depromsit lacunis. Neque enim fit verosimile hæc Judæum proprii debuisse ingenii nequitia. Præ-  
 terea, qui vulgus & tota civitas credidisset Judæo, memorante Tertulliano, nisi aliquod calum-  
 niæ fundamentum & ludibrii hujus semina dudum in vulgus gentilium dissipata fuissent. Id vero hoc erat. In denotando monstro quod veteres hæreticos sub *asina specie* ad-  
 rasse scribunt ecclesiæ patres, ipsi quidem boni viri nomine & vocabulo *ὄνοειδής* utuntur, eundem in modum ac *ὄνονυχροειδής* quoad principium, terminationemque composito. Origenes L. VI. contra Celsum agens de *Ophitarum*, quos retulere in orbem quosdam, dæmonibus, varias non modo exhibet simillimæ compositionis voces, dum narrat alium esse *λεονπειδῆ*, alium *πυροειδῆ*, alium *δρακονπειδῆ*, aliumque *ἀεττειδῆ*, atque *ἀρκτειδῆ*, sed & de ultimo ait p. 295. Ed. Spenceri 'Ε,Θ' ὁ μὲν Κελσευ τὸν ἑβδομον ἔφασκεν ὄνε εἶχει πρόσωπον - - - ἔτος καλεῖται Ονοήλ ἢ Θαρθαραώθ ΟΝΟΕΙ- ΔΗΣ πρὸς ἰουγχανῶν. Porro *septimum Celsus* ait habere *asini faciem* - - - ille vocatur *Onoel* sive *Thartharaoth* **ASININA SPECIE** visendus. Quam in rem & observandum, hæc *Celsi*, infensissimi  
 Class. III. Fasc. VI. Y y y m̄

mi hostis Christianorum verba esse, quibus  
*ὄνοειδῆ* Deum objecit Christianis, adeoque De-  
 um Christianorum *ὄνοειδῆ* inter ipsas gentes ce-  
 lebratum fuisse; Inde enim Tertullianus:  
*Et creditus vulgus* (gentilium) *Judæo* - -  
 - - *Itaque in TOTA civitate ONOCHOETES*  
*predicatur.* Confer quæ de hoc Deo *ὄνοειδῆ* O-  
 phitarum memoratus antea frater meus citata  
 diff: Cap. IV. §. 21. commentatus est, ubi  
 & alium Origenis adducit locum tradentem  
 gentes sæpe Christianos his convitiis lancinaf-  
 se; *ad leonem, ad amphibium καὶ τὸν ΟΝΟΕΙΑΗ* (sci-  
 licet *θεὸν* ad ASINIFORMEM Deum. Quo  
 ipso pariter ex loco vocem eandem *ὄνοειδῆ* de  
 ipsorum Deo objectam esse Christianis conspicis.  
 Quoniam vero *ὄνοειδῆς* pari significatione pol-  
 lere ac *ὄνοκέφαλος*, dein §. 10. ostendam; præ-  
 tereaque *aures* longæ maxime commendave-  
 rint rudentem bestiam: hinc vides qui opus  
 haud fuerit ut in hujus vocis compositione  
 vocabulum *ἄς*, *ὠτὸς* occurrat, ut ut huic mon-  
 stro præter *ungulas* & *aures* fuisse *cantheriorum*  
 Tertullianus commemoret, utpote quod  
*ὄνοειδῆς* quidpiam denotet *auribus asininis* præ-  
 ditum; quoniam vero & *ungulis* instructum  
 hinc & *ὄνοξ* compositionem ingreditur, fitque  
*ὄνονυχοειδῆς*.

VIII. His de vocis difficillimæ lectione dis-  
 putatis, permitte mihi, amicissime Heini, ut,  
 dum in hoc loco Tertulliani illustrando ver-  
 sor, & nonnullis ea exequiam quæ ad hujus  
 histo.

historiæ circumstantias elucidandas fortasse aliquid conducent. *Autorem rei imaginisque pictæ Tertullianus cum referat Judæum fuisse illoque eum aliquoties nomine compellet, plurimæque sint quæ arguant præterea eum haud Apostatam sed reapse Judæum fuisse, merito hanc sententiam propugnans §. 3. quod & ante labores tuos fecit Cl. del Monaco Cit. libri sect: VIII. p. 54. sqq. p. 59. sqq. Nimirum, ut Tertullianus refert, Picturam illam in NOS, scilicet Christianos proposuit Judæus unde & eundem illusisse hac imagine DEO Christianorum non vero Judæorum ipsa docet inscriptio, & verba Tertulliani Nova jam Dei NOSTRI editio publicata est. Neque leve in hac causa propugnanda argumentum in his Tertulliani verbis reperio, quod Judæus ille ad bestiarum MORSUS locando quotidie se jam toto corpore DECUTIAT, ubi ad Judaicam *περιτομήν* manifesto alludit, quam, (cum tantum genitalia spectet atque *inguinis oram* quam, ut Satyricus ait p. 683. *ferro succidunt*) hic in Judæi pessimi nota characteristica tradenda exaggerat, quod, cum se ad bestias ut mercenarius locaverit, illæque cutem ejus quotidie mordeant arrodantque, hinc non modo ratione partium genitalium, sed vel totius corporis quod deglubendo bestia recutitum reddunt totum reapse se Judæum & *περιτομόν* exhibeat. Qui tamen ais, eundem, si Judæus est, Presbyter noster vocat SUAE religionis DESER-*

TOREM in libro ad Nationes? Scis, mi Hei-  
 ni, quantopere in his conciliandis aqua hæ-  
 reat eruditis. Cumque ipse, nodum hunc  
 non solveris, accipe qualemcunque conje-  
 cturam nostram, usque dum meliora me do-  
 cueris. Nosti quid religio Judaica a Judæis po-  
 stulet in ipso Decalogo. Exod. XX: 4. Deut. V:  
 8. *Non facies tibi SIMULACRUM neque IMA-  
 GINEM vel ejus quod supra in cœlis est neque quod  
 subtus terram est &c.* Quo Deum præcepto  
 non modo prohibuisse *picturas* veri Dei, sed &  
*aliorum* Deorum ne ulla ratione Dei cujuspiam  
*simulacrum* effingerent Judæi, novimus. Adde  
 Deuter. IV: 15. *sq. custodite animas vestras,* Ju-  
 bet Deus, *ne vobis formetis unquam IMAGI-  
 NEM (Dei vide v. 15.) quæ similis sit VIRO  
 aut mulieri, aut ANIMALI terrestri, aut VO-  
 LUCRI cœli, aut REPTILI terrestri &c.* Item  
 Deut. XXV II. 15. *Maledictus esto qui DEAS-  
 TRUM aut fusile fingit in ABOMINATIONEM  
 Domino &c.* Hinc Tacitus *Aegyptiorum Juda-  
 eorumque cultum opponens* L. V: Histor. c. 5. *AE-  
 GYPTII pleraque ANIMALIA, EFFIGIES-  
 QUE COMPOSITAS venerantur. JUDÆI  
 mente sola unumque numen intelligunt, PROFA-  
 NOS qui DEUM IMAGINES mortalibus MA-  
 TERIIIS in SPECIES HOMINUM effingunt.*  
 Hinc & omnes *Judeos a picturis imaginum divi-  
 narum abhorruisse ipsæ gentes confessæ sunt.*  
 Loca conspicias in Cl. fratris *diff. de ὁμοειδέσσι*  
*cap. II: §. 3.* Hæc cum jubeat *Religio Judaica*  
 &

& quidem severissimis legibus, nihilo tamen fecius scelestus hic Judæus PICTURAM proposuit, qua formavit DEUM, & quidem inscriptione teste *Deum Christianorum*, qui, ut deus ait, erat *Numen BIFORME*, utpote cui partim HOMINIS figuram dedit, dum *togatum* finxit *gestansque librum*, partim ANIMALIS quod *aures asininas & ungulas* eidem tribuerit; Quidni itaque jure eum vocat *sua religionis DESERTOREM* Tertullianus? qui plane contra jus fasque suæ religionis tam scelestum facinus, a quo ceteri omnes *abhorrent Judæi*, perpetravit, atque ita Judaicæ religionis sanctissimas leges ejuravit. Quocirca & eundem *solo detrimento cutis Judæum* vocavit, utpote qui tantum *praeputium* jactabat, religionem autem Judaicam habebat neglectui, ipsoque opere tam nefario *deserebat*, id pingens quod Judæo homini pingere religionis propriæ custodia haud permittit.

IX. Judæum itaque hanc pincturam proposuisse tradit Tertullianus in *quadam civitate* quam *Carthaginem* haud esse sed *Romam* §. 4. urges eo maxime argumento quod pronomine ISTA in hac *civitate* denotanda utatur Presbyter, quo aliam ac ubi hos exaravit libros indicaret. Scripsit enim Apologet. cap. 16. *Nova jam Dei nostri in ISTA CIVITATE proxime editio publicata est & in L. ad nationes nuper quidam perditissimus in ISTA CIVITATE &c.* Verum vide numne forsitan *ista civitas*

ex Tertulliani frequentissimo stylo usque hujus pronomini positum sit pro hac civitate nimirum ipsa in qua *Apologeticum* & Libros *ad nationes* conscripsit. Hoc quin factum sit *Carthagine* cum dubitari haud possit, clarissimeque id ibidem loci probaveris, verosimile hinc videtur & picturam illam aeque *CARTHAGINE* propositam fuisse a Judæo. Nam si *Romam* indicaret ea vox, aliumque locum ac in quo exaratus est Liber, necesse esset quo *Roma* antea fieri mentionem & proximo quidem cerneremus in loco, quo relativum *iste* eo referremus. Ita Cap. IX. ejusdem *Apolog.* *Ecce in ILLA religiosissima URBE AENEADARUM* piorum &c. ubi pronomini statim notam characteristicam additam vides, ad quam id referas civitatem, scilicet *Aeneadarum piorum* hoc est *Romam*. Verum nostro in loco hujusmodi indicii ne *yeu* quidem reperimus. Unde alterum locum nostro similem esse perperam censuit doctissimus *Haverkampius*, qui in eadem cum tecum sententia esset, illo egregie alterum illustrari putavit. Sed parum commode. Obstante proinde hac locutionum dissimilitudine *istam* civitatem ex Tertulliani stylo pro hac scilicet *Carthagine* accipimus. Tertullianus de Pallio p. 49. Ed. *Salmas.* *Habes igitur ex isto fomite astuantem magnam regem* &c. id est hoc fomite p. 55. erat olim *ista sententia* pro hac sententia. Atque ita fere millies. Neque his adversum est, quod in

in libro ad nationes scribat: *Nova de Deo nostro FAMA* suggestit, quod commode de fama accipies quæ rem illam non modo ad Tertullianum, sed & innumeris homines extra Carthaginem habitantes, detulit. Communis inquit fama hoc suggestit. Neque etiam necessitate quadam adigimur quo Tertullianum oculis suis lustrasse hanc imaginem censeamus siquidem Carthagine exposita fuisset. Plurima enim in urbe geruntur quæ singula, utut præsentis, curiosioribus oculis haud lustramus. Causæque plurimæ esse potuerunt Presbytero, cur iniquam adeo in Christianos imaginem contemplari præsens noluerit, ne ipse videlicet Christianus a præsentibus cum Judæis tum gentibus sannis exciperetur ea propter. Talem enim Deum esse Christianorum ac Judæus pinxerat vulgum (gentilium) credidisse JUDÆO refert Tertullianus, atque in tota civitate (quæ verba tantum Carthaginem spectare videntur, urbemque in quo librum scribebat) ONO-NYCHOETEN prædicatum esse. Hæc itaque non obsunt quo minus FAMA hæc ipsi suggesterit, quæ præsens haud contemplatus erat.

X. Lustremus & formam qua fictatius ille Christianorum DEUS Ononychoides a Judæo formatus fuit. Is erat, ait, AURIBUS ASININIS & altero in loco: auribus Cantheriorum. Hinc concludis, vir doctissime §. 8. auritum quidem fuisse pictum hominem, non vero caput Asini-

num formatum. Ita & in pictura qua hunc locum ex mente tua affabre illustravisti, aures ex humano capite prominentes exhibuisti. Neque hac in re tantopere tibi refractarius sum quod verba nil præter aures asininas non caput meminisse videntur. Dum itaque picturam illam qua frontem libri tui exornasti, contem-  
plor, videor mihi videre faciem Midæ, atque in memoriam revocari scriptos in eum hos le-  
pidos lepidissimi versus Ovidii L. XI. Metam.  
v. 175. sq.

nec Delius AURES

HUMANAM stolidas patitur retinere fi-  
guram

Sed trahit in spatium, villisque albensibus im-  
plet

Instabilesque illas facit: & dat posse moveri.

CETERA SUNT HOMINIS: partem dam-  
natur in unam

Induiturque AURES lente gradientis A-  
SELLI.

Pares enim aures ac Apollo finxit Midæ, hic ne-  
bulo pinxit Christianorum Deo. Sunt ta-  
men nihilofecius ex quibus divinari liceat,  
utut Tertullianus, qui subobscuriori stylo u-  
titur, tantum aurium faciat asininarum menti-  
onem, tamen intelligi velit a Judæo pictum  
esse Asininum CAPUT integrum. Attenda-  
mus enim (1) ad ea quæ de fide hujus ima-  
ginis

ginis apud *Gentiles* Tertullianus retulit. *Credidit vulgus* (gentium) *Judæo* scribit, talem esse *Deum nostrum* qualem ille pinxit. At *gentiles* haud crediderunt solum *aves asininas* Christianos venerari, sed integrum *Asini caput*. Inde Cæcilius Natalis apud Minutium Cap. 9. *Audio eos* (Christianos) *turpissimæ pecudis* (asini) *CAPUT consecratum venerari*. Ipse præterea Tertullianus (2) in *eiusdem* capituli Apologetici principio mentem uberius explicare videtur, dum ait. *Somniaſtis* (gentiles) *CAPUT ASININUM esse DEUM NOSTRUM*. Hanc Cornelius Tacitus *eiusmodi suspicionem inferuit*. *Is enim in quinto Historiarum suarum bellum JUDAICUM* &c. Tum referens ex Taciti L. V. Hist. c. 3. 4. Historiam seu calumniam de *Asini effigie* in sacratissimo templi *Judaici* adyto collocata, quam vocat *consecrationem effigiei CONSIMILIS bestiae*, addit Tertullianus. *Atque ita inde presuntum opinor* (apud *Gentiles*) *NOS quoque* (Christianos) *ut JUDAICÆ religionis propinquos EIDEM SIMULACRO initiari*. Quæ verba *eidem simulacro* aliter ac de *asinino capite* haud est quod intelligas. Nam uti *Judæos* ita & *Christianos* adorare *Deum Asinicipitem* gentilibus persuasum fuit. Consulantur ea de re plurima veterum loca hanc in rem abunde collecta, cum a fratre meo diss. de *ὀνοματεία* Cap. I. tum in libro citato Dn. *del Monaco* sect. III. V. & sect. X. Hinc est (3) quod hæc omnia, illis demum

verbis concludat Tertullianus. *Quod enim aliud genus* (his Zelotis) *SEMINARIUM est INFAMIAE nostrae.* Infamia hæc erat, Christianos asini *CAPUT* non aures solum adorare. Ergo si hæc infamia & ex hac prognata auctaque saltem est *pictura*, hujus quoque indolis eandem fuisse credas quo & *asincipitem Deum* monstraverit. Licet etiam (4) Tertullianus tantum *aurium* meminerit, tamen eo nomine *caput* ipsum, Synecdoche partis utens pro toto, intelligere potuit. Sic cum ex testimonio Apionis apud Josephum L. II. Suidæ in *Δαμίσκρησιν* & aliorumque constet Judæos *asini caput* venerasse; tamen *aurium* solummodo mentio fit similem in modum apud Petronium in fragmento p. 683.

JUDÆUS licet & porcinum numen adoret,  
Et CILLI summas advocet AURICULAS.

Præterea (5) si lectionem *ὄνονυχσειδῆς* antea adstructam assumimus, notari in hac causa potest *ὄνοειδῆ* idem esse quod *Asincipitem* αὐτὸν *ὄνοκέφαλον*. Locum ex Originis L. VI. contra Celsum §. 7. adduximus ex quo apparet illud simulacrum Ophitarum *ονοειδῆ* ita describi tantum, quod, ceteris salvis, habeat *ὄνον πρόσωπον Asini faciem*. Idem autem vocatur aliquoties *ΟΝΟΚΕΦΑΛΟΝ ASINICEPS* pag. 300.

300. atque ἑνὸς μορφῆν ἔχειν *asini formam habere* ut Epiphanius de *Gnosticis* (ex quorum lacunis *Ophiani* sua derivarunt) *Hæres. XXVI: p. 91. Ed. Petav.* Unde ὀνοειδῆ cum ὀνοκέφαλον æquipollente dictione gaudere concludas licet. Quod eo magis (6) verosimile fit, quo apertum videtur ex his Christianorum *Judaizantium* locutionibus perditissimum hunc Judæum ansam capeffivisse *Asinicipitem* Deum Christianis quadam ex specie veri affingendi. Quibus Gentilium eadem de re persuasio, momentum haud adtulit leviusculum, ut rei fides habita sit eo certior. Denique videtur omnino (7) recutitus scurra pictura hac id intendisse quo *calumniam* genti *Judaicæ* inustam de *Asinini capitis cultu* a suis tribulibus remotam, suadente universæ Historiæ hujus compage, in *Christianos* depelleret. Hæc tamen si tibi non satisfecerint probabiliter dicta, nec erit etiam cur eapropter vel tecum vel cum quopiam litigem eruditorum.

XI. Afferit præterea Tertullianus *Judæum* hunc *Deum Christianorum* pinxisse *ALTERO pede ungulatum*. Hæc accipis docente pictura cum ceteris ordinis eruditi viris quasi *uno tantum ex duobus* pedibus, *asinino* adinstar fuerit *ungulatus*. Exhibes enim alterum pedem *asininum*, alterum *humanum*, cujusmodi spectrum *Hecates* fabulam exhibuisse eruditissimus docet *Haverkampus*. Monet autem ille merito quidem rogatque cur hic *Deus* a *Judæo*  
non

non UTROQUE pede ungulatus pictus sit, prout eidem *utraq*ue auris *asinina* erat. Nam, addit, *mixturam* hominis *reliquum corpus docere potuit*. Latet seu difficultas seu obscuritas rei in notione quam hic habet vox *alter*. Nihil enim obesse video, quominus judicaremus velle Tertullianum hanc imaginem fuisse UTROQUE pede *ungulatam*? Tertulliani enim stylus maxima verborum laborat obscuritate, quo nævo & ceterorum ejus ætatis *Afrorum* subsequentsque scripta horrent rigentque. Notandum vero maxime, sin minus noster Tertullianus idem sit cum ejusdem nominis *Jurisconsulto* celebri, de qua disceptatione *Mennagium* in *Amoenitatibus Juris Civilis* adeas; eum tamen ut plurimum uti *stylo Jurisconsultorum* ne dubites, cum primis in *Apologetico* & *adversus nationes* libris, qui argumenti sunt *Juridici* & ad magistratus *Africanos* *Præsides* & *Proconsules*, juris Romani, ut par erat, peritos, scripti, ne dicam ipsum Presbyterum se toties trivisse forum indicare. Nihil vero notius est in veterum Ictorum libris versatis ac *alter* sæpissime sumi de *duobus*. Sic in legibus Romanis *alteram tertiam esse duas tertias*, atque *alterum semissem* in hereditate & communi dividundo esse *duos semisses* inter doctiores Ictos abunde constat. Sic cum ille apud Virgilium ait *Eclog. VIII: v. 39*.

ALTER ab UNDECIMO tum me jam ce-  
perat annus

his vocibus intelligendum esse *tertium decimum* non *duodecimum* rectissime Servius monuit, addita ex *Juriconsultorum* Consuetudine loquendi hac ratione satis solida. Vult significare jam se VICINUM fuisse PUBERTATI quod de Duodecimo anno procedere non potest. Bene cum annis jungit habitum corporis. Nam & in JURE Pubertas ex utroque colligitur. Olim quippe pubertas ex habitu corporis dignoscebatur. Verum Legibus in Republica constitutis civilibus, præcipue sub imperatoribus, *foemina* post *duodecimum* ætatis annum creduntur viripotentes, & *masculi* post *quartum* & *decimum* demum puberes. Vide Institutiones Justinianæ Lib. I: tit. XXII. quibus modis tutela finitur in principio, & ibi notas Vinnii, aliorumque commentarios.

XII. Addamus & nonnihil de LIBRO quo instructus fuit commentatitius hic Christianorum Deus. Conspectum enim esse cum LIBRO asserit in libris ad nationes, & in Apologetico eum LIBRUM gestasse. Causam tamen quare eum cum libro pinxerit Judæus haud addit. Neque etiam refert utrum *manibus* instructum fuerit hoc monstrum quarum altera *librum* tenuerit, an *Asniceps* ille *ungulatis pedibus* posterioribus erectus stans, prioribus quoque *exsertis* dextroque quasi aperto & sinistro  
sub

sub toga latente, quæ togati forma est, *librum* iis *superimpositum* gestaverit. Prius tamen *verosimilius* videtur. Id vero voluisse *indicare hoc libro* Judæum conjicio, non quo **DOCTORIS** *speciem* exhiberet, ceu plerique censent interpretes. *Numen* enim pinxit. Verum quo quivis gentium simul videret & hunc *Christianorum Deum* simul esse eorundem **LEGISLATOREM**. Ea enim persona acquidem *doctoris* est aptior *numini*. Adeoque, uti ipsa imagine verpum scelestissimum traduxisse *sospitatorem* nostrum *Jesum Christum* benedictum in secula, qui verus est **CHRISTIANORUM DEUS**, censeo, veluti egregie ipse ostendisti *J. 5. cum Cl. del Monaco sect. VIII: p. 40. sqq.* ita hoc *libro* quem putatitius hic *Deum Christianorum* gestabat, crediderim Apellam illuisse libris *Novi Testamenti*, quibus Christi *leges* suis traditæ exhibentur discipulis. Dicebantur enim iidem *βιβλοι libri* & *βιβλία* ut abunde omnibus constat. Sic & *Codex V. T.* dicitur τὸ βιβλίον *Luc: IV: 17. Hebr. X: 7. Liber* enim est *symbolum legislatoris & librorum legis* qui hinc per excellentiam *libri* vocantur *sapientiscule* in *Digestis & Codice*, maxime in *L. I. tit. 17. Cod. de Veteri Jure enucleando*, nihilque notius quam *Ictis codicem κατ' ἑξοχὴν* notare *codicem legum*. Dubio hinc caret *Judeum* hunc **CHRISTUM** opponere voluisse **MOSI** quem eorundem *legislatorem* fuisse gentiles haud ignorabant. Nihil enim frequentius erat

rat quo exagitarentur *Judæi* a gentibus ac *Mosis* quidem LIBRO eorum *Legislatoris*. *Juvenalis Satyr. XIV: v. 101. de Judæis*

- JUDAICUM ediscunt servant ac metuunt  
JUS  
Tradidit arcano quodcumque VOLUMINE  
MOSES.

Commemorabilem, quin imo & nostræ per-  
millimam de *Mose* refert *Siculus Diodorus* Hi-  
storiam L. XXXIV. quam *Photius* Cod. 144.  
ex eodem descripsit. *Antiochum Epiphanem*  
cum intrasset *Judæorum*, quod *Hierosolymis* erat  
sacratissimum templum, in interiore ejus adyto  
invenisse statuam lapideam viri promissa bar-  
ba instructi μετὰ χειρὸς ἔχοντος ΒΙΒΛΙΟΝ tenentis  
manibus LIBRUM insidentisque ASINO quam  
putabat *MOSIS* esse, qui urbem *Hierosolymorum*  
condiderit, καὶ συνησαμένους τὸ ἔθνος ἔ-  
GENTEM (Judaicam) FUNDAVERIT, πρὸς δὲ ἰε-  
ρισ ΝΟΜΟΘΗΣΑΝΤΟΣ τὰ μισάνθρωπα παράνο-  
μα ἔθη τοῖς Ἰουδαίοις illisque *Judæis* LEGES illas  
TULERIT longe a *Jure* alienas quibusque a con-  
suetudine aliorum hominum segreges redditi sunt.  
Observa itaque similem in modum & in hac  
figura *Christum* pictum voluisse Apellam, ut-  
pote qui (1) gentem *Christianorum* condidit.  
*Tacitus* L. XV. *Annalium*. AUTOR nominis  
*CHRISTUS* qui *Tiberio* imperante per Procura-  
torem *Pontium Pilatum* supplicio affectus erat &c.  
tum



rem nostrum intelligendum esse, quicquid viri docti obijciant, persuasum habeo.

XIII. Quemadmodum autem hæc omnia ad risum jocumque apud gentes Judæosque excitandum a verpo ficta pictaque esse intelligimus: Ita quid TOGA, qua eundem Christianorum Ononychoëten Deum, amictum esse voluit, ad risum contulerit, haud facile explicuerim. RISIMUS enim, ait Tertullianus, & nomen & FORMAM, non modo partem formæ sed integram formam aures cantheriorum, ungulatum alterum pedem, libri gestationem & TOGAM qua indutus erat. Nisi hoc fortasse eo faciat quod post Augustum togarum usus paulatim in desuetudinem abierit, Romanis civibus pænula & lacernis se amicientibus qua de re videas Salmasium ad Tertulliani Pallium p. 79. & 81. neque enim præter iudices & advocatos iis utebantur, nisi vilioris fiat conditionis; Unde Tertullianus Presbyter factus Togam mutavit cum Pallio, quam ob rem cum a Carthaginensibus suis sub censoriam virgulam Presbyter novus vocatus esset, Satyram illam de Pallio in ipsos composuit, quam luculento commentario illustravit summus Salmasius. Cognitum vero omnibus quantum risus excitare aptæ sint vestes quæ dudum extra communem usum hominum positæ sunt, si iis indui alios conspiciamus, aut, quæ tantum modo viliorum hominum indumenta sunt, si viris adaptentur summo loco

atque ordine conspicuis, in cuius principem locum omnium hominum consensu *Deum*, quem hic pingebat *Christianorum*, referimus. *Togam* autem recte expressisti in pictura, vir clarissime, fortasse ex *togata statua* quam apud *Rubesium* habes L. I: Elect: cap. 17. ne eos qui *de re vestiaria* scripserunt, commemorem, tuo desumtam.

XIV. Hæc vero ea sunt, celeberrime Heini, quæ hac super re tecum sermocinari nunc adlubuit. Quin grata tibi acceptaque ea futura sint, haud ulla ex parte amicitia nostræ leges dubitare me sinunt, quod hæc proficisci ab homine noveris fuci nescio, quique libere amicis sententiam exponere sine assentatione consuevit. Sivero me hallucinatum esse fortasse deprehenderis, aut eodem non uti tecum acumine ingenii doctrinaeque ubertate, id tantum rogo, quo conatus nostros eruditionis tuæ modulo metiri nolis. Ita vale in rei litterariæ Christianæque commodum. Dabam Bremæ die XX, Novembris An clō ec XIX.

JOHANNIS D'OU-  
TREIN,

Ph. D. & V. D. M.

in Ecclesia Amstelodamensi

Dissertaticuncula

In Locum Matth. VIII: 11,

SUMMARIUM.

Vox πολλοί, *Multi*, denotat Gentiles; qui in Sacris  
multorum nomine sæpe veniunt. ἀπὸ ἀνατολῶν  
καὶ δυσμῶν, *ab oriente & occidente*. Quibus a-  
quilo & auster includuntur, *venient*. Per fidem &  
resipiscentiam. Et in regno coelorum i. e. Ecclesia  
Novi Testamenti, *discumbent*. Veterum mos *ac-*  
*cumbendi* ad mensam. Ligtfooti observatio 1. De  
differentia inter *sessionem* & *accubitum*. 2. De *accu-*  
*bitu*, præsertim necessario in Epulis Sacris. 3. De  
accubitu in *deliciis*, immo pro *religione* habito ut-  
pote *libertatem* indicante. *Regnum Coelorum* i. e. Oe-  
conomia Novi T. sub emblemate *Convivii*, tum *Sa-*  
*cra*, tum *nuptialis*, venire solet. Uti & status vitæ  
futuræ. Joh. Henr. Hottingerus citatus. Vox  
זרקל, τεακλίσιον. *Sacra cæna* a Christo insti-  
tuta symbolum est spiritualis *accubationis*. *Accum-*  
*bentia* illa in regno cœlorum Christianis etiam est  
*Sacra*, in *deliciis* & pro signo *libertatis*. *Accumbent*

cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo. Quæ verba tres involvunt prærogativas. Cur cum illis tribus, qui ante legem vixerunt non vero cum aliis fidelibus sub V. T. Cujus duæ rationes assignantur. Major est convenientia status Ecclesiæ Novi Testamenti cum ecclesia ante legem, quam sub lege. Hinc lux allata locis Gal. III: 5. 6. 10. 14. 18. Cap. IV: 26. 27. Jes. LIV: 1. Maimonides citatus. Nec non Eusebius.

Matth. VIII: II.

Multi venient ex oriente & occidente & recumbent cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cælorum.

**M**ULTI, inquit Servator. Gentiles indigitat, in contradistinctione Oeconomix veteris, sub qua una tantum gens nempe Judaica, in una regione, Canaanitica, ad Regnum Dei pertinuit. Respicit haud dubie ad promissiones Abrahamo factas & Prophetarum vaticinia de Vocatione & conversione Gentium, quæ sub titulo multorum sæpissime occurrunt. Jes. 2: 3. 4. LII: 15. LIII: 12. Zach. 2: 11. VIII: 22. Confer 1. Sam. 2: 5. Jes. XLIX: 11-22. LIV: 1-3. & in Novo instrumento Rom. IV: 17. 18. Matth. XX: 28. XXVI: 28.

Ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν EX ORIENTE ET OCCIDENTE. Lucas Cap. XIII: 29. addit ex aquilone & ex austro. Verum quia non eadem est Historia, quam *Matthæus* narrat,

rat, cum ea, quam *Lucas*, facile fieri potest ut Servator semel nominaverit *orientem* & *occidentem*; & alia occasione *aquilonem* etiam & *austrum* adjunxit. Utrumque enim scripturis prophetis consentaneum est. Quod ad *orientem* & *occidentem*; Vide Ps. L: 1. CXIII: 3. Jes. LIX: 19. Mal. I: 11. Quibus tamen *aquilo* & *auster* includuntur, quorum alibi aperta quoque fit mentio. Psal. CVII: 3. Jes. XLIII: 5. 6. Quibus adde ea loca, in quibus *omnes fines terræ* per Evangelium convertendi dicuntur. Jes. 45: 22. LII: 10.

ἡ ἔσσι **VENIENT**: Vocati scilicet per Evangelii præconium; cui obsequuntur per *fidem* & *resipiscentiam*.

Καὶ ἐν βασιλείᾳ τῶν ἁγίων **ET IN REGNO COELORUM**. Id est Ecclesia Novi Testamenti, ejus Oeconomia spiritualis & cœlestis est, & sub qua Oeconomia ecclesia consummata in *cœlis* & ecclesia militans in *terris*, in *unum* quasi corpus coaluerunt. Vide commentarium nostrum in Luc. XVI: 16.

Ἀνακλιθῆσονται **DISCUMBENT**. Veteribus in more positum fuisse ut mensæ *accumberent*, non *affiderent*, vulgatum est. Vide *Bynæum*, de *Calceis Hebr.* pag. 157-- Quædam tamen specialiora docet *Ligifootus*: *Hor. Hebr. in Matth. XXVI*: 20. nimirum. 1. Distingui solere inter Judæos *sessionem* & *accubitus* ad *mensam*. Unde colligitur non *semper* & *solum* morem istum *accumbendi* in usu fuisse

2. Istiusmodi tamen recumbentiam gestum maxime idoneum reputatum fuisse, in epulis sacris præsertim requisitum; in cœna paschali summe necessarium & requisitissimum. 3. Istum accumbendi morem in usu & deliciis, imo pro religione quadam habuisse Judæos veteres, eo quod signum & significationem præ se ferret libertatis.

Jam vero (a) Regnum cœlorum, id est, Oe-  
co-

(a) Sic & status vitæ futuræ a Judæis comparatur accubitioni ad mensam bene instructam. Sic legitur in Excerptis Gamaræ de Opere Currus: *Edita est Bath kol super nos, quæ sonabat: ascendite huc ascendite huc! parata sunt discubitoria magna & strata pulchra, vos & discipuli vestri convocati estis &c.* Ubi Joh. Henr. Hottingerus, commentatur ad vocem *בֵּית קוֹל*. „Est vox Græca *τραπεζιον*, sub qua, „hoc in loco, status alterius vitæ tranquillus innuitur, „de quo nemo dubitabit; præsertim, si confert illustrem locum *pirka avoth. c. IV: 16. R.* Jacob dicit: *Mundus iste similis est vestibulo ante seculum futurum, præpara te ipsum in vestibulo, ut intrare possis* „in *τραπεζιον*, ad quæ verba Bartenora commentatur. *Τραπεζιον* notat sedem, seu mensam, regiam: sic te ipsum in mundo hoc dispone, ut altero dignus censearis. Nec male felicitas alterius vitæ sub tali emblemate repræsentata. Habemus quoque hujus rei vestigia in N. T. Matth. VIII: 11. Observa etiam *τραπεζιον* & *ἀνακλίεσθαι* accumbere. Mater filiorum Zebedæi a Christo petebat, *ἵνα κἀδύωσι* sedeant filii sui ab illius dextra & sinistra. Matth. XX: 21. Disc. Gemaric. de Opere Currus pag. 96. 97. Refert vir ille Doctissimus locum hunc Mat-

conomia Novi Testamenti, sæpius in S. S. sub emblemate *convivii*, tum sacri, tum nuptialis, venire solet. Vide Prov. IX: 1-5. Jes. LV: 1-3. Psal. XXIII: 5. XXXVI: 8-9. LXV: 5. Matth. XXII: 1-- Adeo ut mirum non sit, Gentes hoc loco dici *accubituras in regno cælorum*; Quod revera nihil aliud vult, nisi, quod participes essent futuræ omnium benedictionum spiritualium & cœlestium N. T. Rom. XIV: 17. Eph. I: 3. Confer Luc. XIV: 15. XXII: 30. Quæ communio cum Christo & bonis ejus spiritualibus speciatim effigiata fuit per *comestionem Agni paschalis & Epulsorum sacrorum* in atriis Tabernaculi sive templi.

Quin & notandum est, Servatorem nostrum in Ecclesia Novi Testamenti instituisse sacram *Synaxin*, in qua Christiani *mensæ assident* & comedunt *panem* ac *vinum* proprie dictum, in symbolum spiritualis illius communionis cum Christo & omnibus ejus beneficiis. Ad hoc convivium Externo-internum (ut sic loquar) *vocanda* quoque erant *gentes*.

Si autem Judæi veteres accumbentiam istam habuerunt *in deliciis*, & pro *religione*; ac pro signo *libertatis*; Quis nescit hæc omnia

Zzz 4

qua-

Matthæi ad *vitam futuram*; (quæ quidem non excluditur) sed priore loco illam *accubitionem in regno Cælorum* esse referendam ad Ecclesiam Novi Testamenti, in his terris, nemo, opinor, ibit inficians.

quadrare in spirituale illud Christianorum convivium. *Ibi delicias incomprehensibiles gustat anima fidelis.* Hoc est *convivium vere religiosum* : Et Christianam *libertatem* inter privilegia regni cœlorum esse, neminem latere potest.

Verum enim vero, si *libertas* non indigaretur per *accubitus* istum; Saltem liquido ea indicatur per id quod sequitur : nempe gentes discubaturas in regno cœlorum.

CUM ABRAHAMO, ISAACO ET JACOBO. Per hanc phrasin tria præsertim a Spiritu sancto sunt indigitata. 1. Fideles ex Gentibus Ecclesiæ Judaicæ, in Christum credenti vel credituræ, inferendos esse. Quæ Ecclesia ex Abrahamo, Isaaco & Jacobo suam habuit originem. Huc faciunt loca Gen: IX: 27. Ps. LXXXV 11. 45. Jes. XIV: 1. XXIX: 22. 23. XLIV: 5. LVI: 3-7. Zach. VIII: 23. Matth. III: 9. Rom. XI. 17. 18.

2. Secundo notat fideles ex gentibus *eiusdem salutis* participes fore cum fidelibus istis Patriarchis. Quippe Heb. XIII: 8. Act. XV. 11. Quod contra Socinianos notandum.

3. Tertio. Quoniam Abraham, Isaac & Jacob cœlitibus annumerabantur; fideles autem ex gentibus *accubituræ* dicuntur cum iis, non obscure indicatur, hos etiam cœlitibus adjungendos & quasi in supercœlestibus collocandos. Vide sis loca Eph. I: 11. II: 7. Phil. III: 21. Heb. XII: 22. 23. Quod per *fissionem*

&

& aperturam *veli interioris* in templo, sub mortem Christi, olim fuit effigiatum.

Verum, hæc omnia satis indicasset Jesus, etiamsi alios quosvis ex fidelibus, ante Christum salvatis, nominasset. Sed quæritur: cur Christus præcise *Abrahami, Isaaci & Jacobi*; non vero *Mosis, Aaronis, Davidis* aut aliorum meminerit qui sub veteri Testamento, post Mosen vixerint? Nimirum id fecit, non casu, sed certo consilio. 1. Quia *Abrahamo* potissimum facta erat *promissio* hæreditatis *Gentium* (cujus *promissionis hæredes* quoque fuerunt *Isaac & Jacob*) uti ex historia sacra, & crebra *promissionum* istis patriarchis factarum mentione, cum in *prophetiis* tum in scriptis *Apostolicis* (ubi de *vocandis gentibus* agitur) abunde constat.

2. Verum, quod caput rei est, præsertim indicare voluit sapientissimus Doctor noster, *Gentes* vocatum iri ad *libertatem* cum *Abrahamo* ac cæteris sub *promissione* patribus, non vero ad *servitutem* elementorum mundi, cum *Mose & Israelitis*, *Mosi* coævis, aut ipsum subsequutis. *Ecclesia* enim sub *promissione libera* fuit; sed a *Mosis* tempore conditionem *servæ* accepit. Quoniam ergo *gentes* erant *vocanda* NON *vi fœderis veteris*, quod Deus cum *Judeis* sub *Mose* pepigerat; Ezech. XVI: 61. sed *vi fœderis novi*, quod convenientiam haberet cum fœdere Dei sub *promissione*; & quidem *vi promissionum Abrahamo* factarum,

hinc facile liquet, quanta cum emphasi Christus dixerit, gentes cum patriarchis Abrahamo Isaaco & Jacobo accubituras in regno Dei. Confer quod Luc. XVI. dicitur de Lazaro, ab angelis in sinum ABRAHÆ deportato. In qua phrasi quoque allusio est ad accumbendi morem in conviviiis.

Indicat ergo Christus, maximam fore convenientiam inter Ecclesiam Patriarchalem sub promissione & Ecclesiam Novi Testamenti, ex gentibus potissimum colligendam; tam quod ad doctrinam vel potius doctrinæ tradendi modum; quam quod ad justificationem, nec non cultum Dei & prax n religionis ac pietatis; quæ pluribus exequi jam non vacat.

Ex hac certe hypotheli lucem foeneratur dissertatio Apostolica in Epistola ad Galatas Cap. III. & IV. Rogat enim Cap. III. commate 5. Qui subministrat vobis spiritum -- [an id facit] ex operibus legis, an ex predicatione FIDEI? Postremum autem verum esse, asserit vs. 6. ex Abrahami exemplo: Sicut Abraham credidit Deo & imputatum est ipsi ad justitiam. Ita nostis, eos qui EX FIDE sunt esse filios ABRAHÆ. Prævidens autem scriptura, Deum ex fide (solâ, nempe absque operibus legis Mosaicæ) justificaturum GENTES, ante Evangelizavit Abrahæ: BENDICENTUR IN TE OMNES GENTES. Ita qui ex Fide sunt, benedicuntur CUM fideli ABRAHAMO (quod revera nihil est aliud, quam quod in hoc loco sub emblemate accubitionis CUM

*CUM* Abrahamo venit) sequitur, e contrario  
 vs. 10. Nam quotquot ex operibus legis sunt, sub  
 execratione sunt -- at Christus redemit nos ab exe-  
 cratione legis. Ut in *GENTIBUS* benedictio  
*ABRAHAE* extet in Christo Jesu, & ut promissum  
 spiritum accipiamus per fidem. vs. 14. Adde vs. 18.  
 Nam si ex *LEGE* (Mosaica) est haereditas, non  
 est ex promissione (Abrahamo facta) Atqui *A-*  
*BRABAE* per promissionem Deus gratificatus fuit.  
 Item vs. 24. postquam venit fides, non amplius  
 sub paedagogo (lege) sumus. Omnes enim filii  
 Dei estis per fidem in Christo Jesu. -- In quo non  
 est Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber,  
 non est masculus & femina. Omnes enim vos unus  
 estis in Christo Jesu. Quodsi vero vos estis *CHRISTI*,  
*ABRAHAE* utique semen estis & secundum promissio-  
 nem (non secundum legem) haeredes.

Hinc, Capite IV. fideles ex gentibus Filios  
 esse asseverat ex Sara, libera; non autem ser-  
 vos ex Hagar, ancilla; quæ Ecclesiae Judaicae  
 sub legis Paedagogia fuit typus. Et in hunc  
 finem allegat vaticinium illustre Jesaia Cap.  
 LIV: 1. Unde concludit, Ecclesiam Novi Te-  
 stamenti, quæ est regnum caelorum ac pertinet  
 ad Hierosolymam superiorem (ex qua gentes  
 essent nascituræ) liberam esse & filios parere  
 ad libertatem Christianam; ad exemplum  
 Ecclesiae patriarchalis. Dicit enim vs. 26. 27. su-  
 perior vero Hierosolyma libera est, quæ est mater omni-  
 um nostrum. Uti scriptum est: Latere sterilis, quæ  
 nondum parit; erumpe & clama quæ non parturis.  
 Quo-

Quoniam plures sunt liberi deserta, quam ejus, quæ habet virum. Per sterilem illam, nostro judicio, non gentes intelliguntur, sed ecclesia vere fidelis ac libera Patriarchalis. Hæc sterilis fuerat a quo tempore Deus carnalem illum populum Judaicum sub servitute elementorum mundi sibi copulavit ad montem Sinai Jer. II: 2. Atque ab eo tempore servilis illa Ecclesia (per Hagar em effigiata) Virum habuit & liberos peperit in servitutem. Verum, quemadmodum Sara in vivis erat omni eo tempore quo gravida erat & filium pariebat Hagar in servitutem; Sic, omni illo tempore, quo Vetus Testamentum viguit, & populus ille carnalis, Deo per legem copulatus fecundus esset, fuerunt adhuc aliqui in populo Dei vere fideles, anhelantes consolationem & libertatem regni cœlorum, sed illi erant pauci, despecti, obscuri, & infœcundi, imo quasi mortui. Verum sub Evangelio, sterilis illa Sara denuo revivisceret & filios ex gentibus produceret, per solam fidem (in libertate Christiana, ad exemplum Ecclesiæ Patriarchalis) justificandos ac salvandos. Q. E. D.

Coronidis loco addere lubet quæ jamdudum alii de discrimine Oeconomix sub promissione & sub lege & illius cum Novo Testamento convenientia observarunt. De differentia in modo tradendi doctrinam veritatis ante & post Moysen, notatu digna sunt quæ habet recutitus Moimomides: More neboch.

*hob. p. II. c. 39.* „Cui autem (ante Mosen)  
 „copiose elargita fuit influentia illa (Spiritus  
 „Prophetiæ) veluti *Abrahamo*; is congrega-  
 „vit homines, & *per modum doctrinæ*, instru-  
 „tionis & informationis, ad *veritatem* voca-  
 „vit, quam apprehenderat. Ita docere solebat  
 „Abrahâ, & per demonstrationes specula-  
 „tivas ostendere, quod mundus habet Deum  
 „unum solum; quod is creaverit omnia alia,  
 „quæ extra vel præter ipsum sunt; & quod  
 „non sit *serviendum figuris* istiusmodi *externis*,  
 „aut ulli creaturæ; & ad ista *sermonibus blandis*,  
 „suavibus & jucundis, *beneficiis* denique ho-  
 „mines allexit & attraxit. Nunquam vero  
 „dixit: *Deus misit me ad vos: prædixit mihi*, aut  
 „hortatus est me. -- -- Nonne enim vides  
 „quid *lex Gen. 18: 19.* de eo dicat: *Quia*  
 „*novi eum: Præterea præcipiet filiis suis &c.* Un-  
 „de vides quod per præcepta solitus fue-  
 „rit omnia sua peragere. Hoc pacto voca-  
 „runt homines *Isaac, Jacob, Levi, Amram*  
 „(pater Mosis.) Sic dicunt sapientes nostri de  
 „prophetis, qui antecesserunt ipsum (Mosen):  
 „*Domus Judicii Eberi, Domus Judicii Methusale,*  
 „*Schola Methusale, omnes fuerunt Prophetæ & doce-*  
 „*bant homines instar concionatorum, Doctorum &*  
 „*præceptorum: Non vero quod dixerint [cum au-*  
 „*thoritate] Et dixit Dominus ad me: Loquere*  
 „*ad N.* Sic comparatum fuit ante Mosen. Hæc  
 „*Maimonides*; quem citavit *Job. Seldenus* in *lib.*  
 „*I. de Syned. Cap. III. p. m. 31.* Ex quibus facile  
 est

est colligere, quanta *differentia* fuerit in modo accipiendi & tradendi doctrinam seu veritatem, *ante & post Mosen*. Quanta autem vicissim sit *anologia* inter illum docendi modum, quem Judæi dicunt ante Mosen obtinuisse & illum, qui sub N. T. obtinet, nobis Christianis facile perspectu est.

Verum audiamus potius Christianos Ecclesie doctores. Eusebius, in *demonstr. Evang. Lib. I. Cap. V. pag. m. 9.* „Talis porro & lex & „vita plane extitit ea, quæ a Salvatore nostro „Jesu Christo instituta est, qua prisca illa & „ipso Mose antiquior instauratur religio, ad „cujus normam & Abraham & ejus Majores „vixisse facile demonstratur. Quod si ve- „lis Christianorum vivendi rationem, atque „eam quam Christus per *omnes gentes* disse- „minavit religionem, cum eo & religionis „& justitiæ instituto comparare & contende- „re, quo & *Abraham & Abrahæ similes* usos di- „vinæ literæ prædicant, facile *unum* atque „*idem* agnosces. Et pag. 10. „Si igitur eun- „dem illum, quem prisca ac ipso Mose anti- „quiores, Dei amici Viri coluerunt Deum, „nuper itidem illis solum pie colendum esse, „Christi doctrina *gentibus universis* demonstra- „vit, haud dubium est, quin *ejusdem* cum illis „divini cultus simus participes; communem „porro habentes religionem, communem „quoque benedictionem sortituros esse, pa- „lam est. Et p. 16. „Ex his omnibus manife- „stissime apparet, ne testamentum *novum* „aliud

aliud esse putemus, quam antiquissimam il-  
 lam Mosaicorum temporum religioni con-  
 junctam civilem rationem, ut & *vetus* pa-  
 riter, & idem *novum* possimus dicere. *Ve-*  
*tus* quidem, propter ea quæ demonstrata  
 sunt, *Novum* autem propterea, quod longo  
 intervallo quasi hominibus absconditum rur-  
 sus per Servatoris nostri doctrinam revixe-  
 rit. Toto vero hoc medio, de quo dictum  
 est tempore, quamdiu novi testamenti  
 mos, ut homines lateret, & quasi quiete &  
 silentio teneretur evenit. Mosis interea  
 Lex ingressa quasi puerilium imperfecta-  
 rumque animarum curatrix quædam & gu-  
 bernatrix aut Medici cujusdam, gravi Æ-  
 gyptiacoque morbo laboranti universæ Ju-  
 dæorum nationi, ipsis videlicet Abrahami  
 nepotibus, qui non quemadmodum primi  
 patres, ita & ipsi suam quæ subsecuta est, im-  
 perfectiorem vitam dirigere poterant  
 tradita est.

LUDOVICI WOLTERS,

Ecclesiae Reformatae Gedanensis

V. D. M.

LOCA SELECTA  
RABBINICA,

e Libris Sohar & Rabboth,

Scripturam Sacram & Fidem Christianam illustrantia.

ARGUMENTUM.

- §. 1. Accessus ad rem tradendam. §. 2. Melchizedecus vel ipse Messias vel Typus Messiae in libro Sohar. §. 3. Sanctuarium verum e caelo descendens Temporibus Messiae expectandum, ad loca Ebr. VIII, 2. 5. Apoc. XXI, 2. 3. §. 4. Doctrina de substitutione iusti pro iniustis ad tollendas poenas praesens Judaeis perspecta ex Jes. LIII, 5. §. 5. Eadem substitutio in ipso Messia agnita & loco Jes. LIII, 4. probata. §. 6. De Sacro-Sanctae Trinitatis Personis illustris locus libri Sohar. §. 7. Messiae & Moysis insignis comparatio in Rabboth.

§. I.

**C**um Clarissimorum Virorum ad rem Theologicam illustrandam tot ubique *Observationes* e Philologia Sacra exstent, & quotidie nascantur, aegre quis ad scribendas novas animum

mum suum inducat; cum vel maxime sibi metuendum sit, ne, novum præferendo, incautus repetat, quod jam dictum sit prius; quis enim inventa doctorum omnia in numero habet? Solent tamen inter legendum in vasto Rabbinicæ scientiæ mari, quandoque apparere res in quibus te invenisse putes, non quod pueri in faba, & quas ideo difficile est non referre. Harum specimen aliquod e perfuntoria tantum Lectione *Libri Sohar* hoc qualicumque scripto habe, quas pace tua *novas* dixerim, quod ab aliis jam observatas non meminerim; Dignæ saltem visæ sunt, quæ, si in quorundam notitiam venerint, firmandæ fidei ergo, ad plures propagentur.

§. 2. *Melchizedecum*, quem Judæi hodierni *Senum* dicunt, prisci olim vel ipsum *Messiam* vel *typum Messie* agnoverunt; cujus rei testimonium exstat in Libro *Sohar* Edit. Sulzbac. Sectione *Lech Lecha* fol. 60. col. 237. ubi ad verba Genes. XIV, 18. ומלכי צדק מלך שלם  
 Et *Melchizedec Rex Salem*, hæc habet Commentator: מלך שלם וראי מלך איהו דשליט בשלימו  
 אימתי איהו מלך שלם ביומא דכפורי דכל אנפין נהילין  
*Rex felicitatis veræ. Rex ille est, qui regnat in felicitate. Quando vero est rex felicitatis? In die expiationum, quando omnes vultus splendent.* His verbis *Messiam* indigitari, nemo iverit inficias; cum solus ille *veræ* & spiritualis *felicitatis* auctor dici queat, illamque solenni *expiatione* peccatorum nostrorum apud  
 Class. III. Fasc. VI. Aaaa De.

Deum in omnium gaudium promeruisse; quod fuse in Epistola ad *Ebraeos* præcipue capite septimo docetur.

§. 3. Huic ipso Melchizedeco Θεοπνευστος Epistolæ ad *Ebraeos* scriptor Cap. VIII: 2. 5. *Sanctuarium & Tabernaculum verum* adscribit, quod *fixit Dominus & non homo*, quod exemplar fuit Mosaici, & quod Johannes Apoc. XXI, 2. 3. *vidit e cælo descendere a Deo paratum, ut sponsam ornata viro suo*; plane in modum cœlestis illius sanctuarii, quod R. Elieser Israelitis ante Moscholatriam paratum, postea in cælo retentum, tandem vero tempore adventus Messiaë manifestandum prædicat. Res memoranda refertur in eodem Libro Sectione *Pinchas* fol. 89. col. 354. fin. sq. Cum enim ipsi a Gentili quodam vel Christiano objectum esset, Judæos frustra templum novum expectare, eo quod *primum & secundum* jam existerint, & non nisi *duo* templa Israelitis in Scriptura assignentur Hagg. II, 9. *Major erit gloria hujus domus posterioris, quam prioris*; R. Elieser hac difficultate sequentem in modum se expedire conatur:   
 דשאל הוא רשע אנא שאלנא  
 וזמא חר לאליהו ואמר דהא במתיבתא דרקיעא  
 אסדרו קמיה דקב'ה דכר נפקו ישראל ממצרים  
 בעא קב'ה למעבד לון בארעא כמלאכין קדישין  
 לעילא ובעא למבני לון ביתא קדישא ולנחתה  
 לה מגו שמי רקיעין ולנטעא לון לישראל נציבו  
 קדישא כגונא דדיוקנא דלעילא הה'ך תביאמו  
 ותטאמו בהר נהלתך *Id ipsum quod quasiuit his*

*Impius ego pariter die quadam quaesivi ex Elia, qui respondit, rem illam in caelesti confessu explicatam esse coram Deo sancto benedicto, hunc in modum: Cum discederent Israelitæ ex Aegypto, Deus S. B. intendebat eos constituere in terra, quemadmodum sanctos angelos in caelo, præterea intendebat ipsis ædificare domum sanctam, illamque e caelo demittere, & plantare Israelem tanquam sanctam plantationem, ad similitudinem formae quae supra est; hoc est, quod scriptum est Exod. XV, 17. Introduces eos, & plantabis eos in monte possessionis tuae. Refert porro R. Eliser, peccata Israelitarum intercessisse, quo minus caeleste ejusmodi sanctuarium ipsis contingerit, unde templis humana opera, Salomonis nempe & Serubabelis confectis, acquiescere eos oportuit. Concludit tandem, cum domum a Deo ipso ædificatam nondum nacti sint Israelitæ, fore ut בתראים בפורקנא ברארן diebus ultimis in redemptione extrema illam recipiant. Id quod in Ecclesia Novi Testamenti tempore apparitionis Christi Domini ex parte impletum jam, & ultimis temporibus plenarie perficiendum esse scriptores sacri allegati docent.*

S. 4. *Substitutionem justii ad ferendas poenas pro injustis in judicio divino locum habere diserte docet Sohar sectione eadem fol. 88. col. 351. med. בשעתא דיתפסון צדיקיא במרעין או במכתשין בגין לכפרא על עלמא כרין יתכפרון כל חובי דרא מנלן מכל שייפי גופא בשעתא*

רכל שײפין בעאקו ומרע סג׳ שרײא עלייהו  
 שײפא חדא אצטריך לאלקאה בנין דיתסון  
 כלהו ומנו דרועא דרועא אלקי ואפיקו מיניה  
 דמה כרין הא אסוותא לכל שײפי גופא אוף  
 הכי בני עלמא אינון שײפין דא עם דא בשעתא  
 דבעי קב׳ה למיהב אסוותא לעלמא אלקי לחד  
 צריקא בנייהו ובג׳ניה יהיב אסוותא לכלא מנלן  
 דבתיב והוא מחולל מפשענו מדוכא מעונותינו

*Eo tempore quo justi affliguntur morbis aut plagis, hoc fit propter expiationem mundi, ut expientur omnia debita generationis illius. Unde hoc habemus? Ab omnibus membris corporis, illo tempore enim quo membra omnia sunt in dolore, & morbus gravis eis incumbit, necesse est, ut unum membrum percutiatur, ad sanandum omnia. Et quodnam membrum percutiunt? Brachium. Brachium percutitur & sanguis ex illo elicatur, ut sanatio fiat omnibus membris corporis. Eodem modo se res habet cum filiis mundi. Illi sunt membra inter se, quo tempore igitur Deus S. B. mundo sanationem vult adferre, percutitur unus justus ex illis, illiusque causa adducitur sanatio pro omnibus. Unde vero hæc habemus? Scriptum est: Jes. LIII. 5. Ipse dolore afficitur propter defectiones nostras, atteritur ob iniquitates nostras, & in tumice ejus fit curatio nobis.*

§. 5. Imo hanc ipsã substitutionem ad pœnas ferendas loco nostro in ipso Messia disertis verbis agnoscunt Sectione Vajickhal fol. 85. col. 346.  
 בננתא דערן אית היכלא חדא דאקרי היכלא דבני  
 מרעין כרין משיח עאל בהווא היכלא וקראיכל מרעין  
 כל

כל באבין כל יסרריהון דישראל דייתון עליה וכלהו  
 אתיין עליה ואלמלא דאיהו אקיל מעלייהו דישראל  
 ונטיל עליה לא הוי בר נשודיכיל למסבל ייסוריהון  
 דישראל על עונשי דאורייתא הה' ד אבן חליינו הוא  
 'נב' *In horto Edenis palatium aliquod, quod  
 vocatur palatium egrotorum. Simulac Messias  
 ascendit in hoc palatium, clamant omnes morbi,  
 omnes dolores & omnes castigationes Israelis, ut ve-  
 nirent in ipsum, & omnes venerunt in ipsum. Si-  
 enim illos tollendo ab Israele in se non rece-  
 pissent, nemo hominum portare potuisset castigationes  
 Israelis propter multas in scriptura memoratas.  
 Hoc est, quod scriptum est Jer. LIII. 4. Veruntamen  
 morbos nostros ille pertulit &c. Pergit Com-  
 mentator paulo post duabus interjectis lineis:  
 וכד הווי ישראל בארעא קדישא באינון פולחנין וקרבינין  
 דהו עבדיהו מסלקין כל אינון מרעין ויסורין מעלמא  
 Et cum השתא משיח מסלק לון מבני עלמא.  
 Israelitæ essent in terra sancta, per cultus & sacrifi-  
 cia, quæ offerebant, omnes illos morbos & castiga-  
 tiones e mundo sustulerunt, nunc vero cum cultus  
 illi & sacrificia cessent, Messias sustulit illos ab  
 hominibus.*

§. 6. Non datur illustrior de Sacro Sancta  
 Trinitate locus, quam qui in eodem Sohar ex-  
 stat Sectione Chukat fol. 82. col. 326. qui qui-  
 dem Eruditorum diligentiam non omnino  
 fugit, a nullo tamen, quantum constat inte-  
 gre exhibitus est. Nempe ad verba Num.  
 XXIII. 9. הן עם לברד ישכון *Ecce populus so-  
 lus habitat, hæc annotat textus: ביהודא בלא  
 ערבוביא*

עלבוניא אחרא כל יחודא שלים הכא איהו ה' אלהינו  
ה' רחא דזא דיליה מראש צורים איהו ואתיחד  
ברישא בגזעא ושבילא ה' דא רישא עלאה אוירא  
דסלקא אלהינו דא גזע דאתמר גזע ישי ה' דא שבילא  
דלתתא ועל רעיא דא אתיחד ביחודא כדקא יאורב

*In unitate sine mixtura aliena. Omnis unitas perfecta est. Hoc est quod scribitur Deut. VI. 4. Jehova, Elohenu Jehova. Hoc est mysterium illius qui a principio rupium fuit Num. XXIII. 9. Et unus est cum capite, cum trunco & semita. Primum nomen Jehova (in loco Deut. VI. 4.) denotat caput supremum, aerem ascendentem i. e. Deum, qui ubique, tanquam aer omnia implet. Secundum nomen Elohenu designat truncum, de quo scriptum est Jes. XI. 1. Truncus Isai. Tertium nomen Jehova, denotat semitam, quæ descendit a summa Deitate ad infra. Et per mysterium illud unitur in unitate sicut decet. Nempe docet Commentator populum Dei in unitate sua imitari Deum ipsum, ad quem phrasis Num. XXIII. 9. de summitate rupium respicit, quique Deut. VI. 4. tribus nominibus designatur, ut Jehova sit Pater, caput supremum; Elohenu, filius, truncus Isai; & Jehova, Spiritus S. semita, quæ ad homines descendit; qui tamen omnes perfectissima unitate junguntur. Quid clarius priscae Ecclesiae fidem de magno hoc mysterio referat?*

§. 7 Claudat scriptionem hanc insignis comparatio inter *Mosen & Mesiam* quæ exstat in *Medrasch Cohelet* Edit. *Francof.* fol. 73. col.

col. e. med. רבי ברכיה אמר בשם רבי יצחק  
 גואל ראשון כך גואל אחרון מה גואל ראשון נאמר  
 ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור  
 כך גואל אחרון שנאמר עני ורוכב על החמור מה  
 גואל הראשון הוריד את המן שנאמר הנני ממטיר  
 לכם לחם מן השמים אף גואל אחרון יוריד את  
 המן שנאמר יהי פסת בר בארץ מה גואל ראשון  
 העלה את הבאר אף גואל אחרון יעלה את המים  
 שנאמר ומעין מבית י"י יצא והשקה את נחל

חשמים Rabbi Berachja ait nomine R. Isaaci :  
 qualis redemptor primus fuit, talis erit posterior.  
 Quemadmodum de priore redemptore dicitur Exod.  
 IV. 20. Et accipiens Moses uxorem suam & li-  
 beros suos imposuit illos asino, ita de posteriori et-  
 iam dicitur Zach. IX. 9. Pauper & inequitans  
 asino. Quemadmodum redemptor primus descendere  
 fecit Mannam sicut dicitur Exod. XVI. 4. Ecce  
 ego pluere vobis faciam panem e caelo; ita etiam  
 posterior redemptor descendere faciet mannam sicut  
 dicitur Ps. LXXII. 19. impleaturque fruge ter-  
 ra. Sicut redemptor primus produxit puteum Num.  
 XX. 17. Ita redemptor posterior producet aquas,  
 sicut dicitur Jud. IV. 10. Et fons e domo Jehove  
 prodibit qui irrigabit vallem Sittim. Quæ hinc  
 variis locis de Christo Domino ejusque offi-  
 cio mediatorio lux accedat, prudens rerum  
 æstimator facile ex se ipso perspiciet.

Tantum.

VI.

Epistolæ (a) quatuor hæctenus  
ineditæ de *causa* potissimum *Sacra-*  
*mentaria.*

- I. H. *Bullingeri* ad *Osvv. Myconium.*
- II. *Ejusdem* ad *Marcum* quendam.
- III. *Martini Bucer*i ad *Bullingerum.*
- IV. J. *Sturmi*i ad eundem.

I.

*Henricus Bullingerus S. D. P.*

D. *Osvvaldo Myconio* suo in *Domino*  
nostro.

**G**ratiam & pacem à Domino. Post  
nundinas illas vestras Natalem Do-  
mini præcedentes venerunt ad nos  
cives aliquot nostri pietatis & no-  
minis tui satis studiosi, conqueren-  
tes *Myconium* sui factum dissimilem nunc  
lon-

(a) Debemus has oppido commemorabiles epistolas  
Cl. Viro Joh. Jacobo *Huldrico*, de quo vide Cl. II.  
Fasc. II. p. 301. Nos non eo fine has exhibemus, ut  
lites illas, quas tum temporis, suscitatas esse pia illa  
anima Ph. Melanchthon ita dolebat, ut dolorem il-  
lum suum non tanto lacrymarum imbre, quantum Da-  
nubius aquarum veheret, extinguere posse, testaretur,  
nunc

longè alias Basileensem docere Ecclesiam, quam olim docuerit Tigurinam, nempe Domini Jesu corpus verè interesse cœnæ, corporaliterque sumi a cœnantibus ratione tamen ineffabili. Nam modum non esse inquirendum. Ac sermonis quidem unius, in quo hoc ardentè docuisti & aliter sentientes damnaisti, Auditores se fuisse magna asseverabant constantia. Dolebat tum ea res nobis omnibus non mediocriter, ac dolorem hunc nostrum auxit non leviter, quod alii non leves aut futiles fratres referunt in feriis Natalibus eadem per te repetita, & hæc insuper adjecta: beatæ memoriæ Oecolampadium eadem de Eucharistia sentire, quæ Lutherus; Quare multos etiam inter tuos pietatis studiosos graviter offenderis. Nos certè ac nostros offendisti gravissimè. Quocirca & hæc ad te scribimus, postulantes & obsecrantes per Dominum Jesum & charitatem Christianam, ut de negotio cœnæ purius, circumspectius & Apostolicæ simplicitati magis consentanea posthac differas. Christum adesse Ecclesiæ suæ perpetuo & tum maximè, cum

A a a 5

cœ-

nunc resuscitare velimus, sed, quod circumstantias complecti videamus, illustrandæ illius temporis historiæ utiles. Et si quid immitius hic in Virum, alias magnum, scriptum quisquam putet, ille scriptum illud, quod huic rei ansam dedit, legat prius, & tum judicet. Et sunt in ipsis his epistolis, quæ evincunt, nos non tam ea, quæ nobis favent, quam, quæ vera sunt, velle promere. T. d. H.

nam celebrat; Christum nutrire & conser-  
 vare, gubernare, vivificare fideles suos in Ec-  
 clesia, imo ipsum in suis vivere, & suos in  
 ipso, sic sane docuere Apostoli Domini. Ab  
 hac simplicitate qui abit multaque in con-  
 trarium disputat, Apostolicam puritatem vi-  
 tiat atque corrumpit. Præterea pugnant in-  
 ter se, corporaliter Dominum edere in cœna,  
 & modum præsentiaë esse illocabilem, ineffa-  
 bilem &c. Dominus noster, corpore suo in  
 cœlis est, in terris non est. Spiritu, divinitate,  
 redemptione, gratiâ, conservatione, vivi-  
 ficatione suâ in Ecclesia est, & intra cœnan-  
 tes fideles. Et hæc ratio maximè effabilis  
 & intelligibilis est. Nosti Dominum Oeco-  
 lampadium modum illum præsentiaë ineffa-  
 bilem valde oppugnasse dum viveret. No-  
 sti quid nos de eo modo scripserimus ad Lu-  
 therum. Nosti quid coram illo simus con-  
 fessi, & quid nostra contineat confessio, con-  
 fessionisque declaratio. Nosti quid scripserit  
 Lutherus, & quid hodie scribat. Probavit  
 hic scripto Nicolai Papæ fidem de Eucharis-  
 tia, quia consentit divinationi Berengarianæ.  
 Cæterum quid de ea senserit beatæ m. Oe-  
 colampadius noster typis expressum legitur à  
 tota Ecclesia. Nunquam itaque Oecolampa-  
 dius eadem docuit cum Luthero de sacra-  
 mento cœnæ Domini. Oramus te itaque,  
 doctissime Myconi, idemque frater dilectissi-  
 me, ne a pura & aperta simplicitate recedas,  
 neve

neve ab Ecclesiis nostris, cum quibus aliquando optime tibi convenit, discedas. *Veritatis, non hominum ministri sumus, verbum Domini nobis Regula est doctrina & Vita nostra, non Lutherus.* Ad hanc quæsumus, unanimes respiciamus, ut & nos in periculosissimis istis temporibus respiciat & ex omni malo nos eruat benignus Dominus. Amen.

d. 26. Martii 1543.

II.

Henrici Bullingeri,

Epistola ad Marcum quendam.

**G**Ratiam & vitæ innocentiam à Domino. Non est quod tantoperè agas gratias, dilecte mi, Marce, pro exiguo munere. Cuperem meam erga te benevolentiam majoribus declarare. Non ignoras opinor Cochlæum Replicam, sic enim appellavit meam responsionem, refutare voluisse. Verum, ut hoc ei cesserit feliciter, intellexit ex responsione mea secunda, quam tibi misissem, nisi arbitrarer, illam jam pridem à te visam esse lectamque. Eruditi & pii Viri non pauci scriptis ad me litteris in illo opere nostro postremo maximè tractationem probant de Ecclesia Christi Catholica, de qua contra Papistas non indiligenter differui. Quas ad Do-  
mi-

minum Pellicanum dedisti litteras, legi ple-  
 rasque. Addis eas esse scriptas in hunc fi-  
 nem, ut Pellicanum ab erronea de Euchari-  
 stia sacramento doctrina revocares ad con-  
 cordiam. Ego vero, ut ingenue, quod sen-  
 tio dicam, nulla vidi argumenta vel apparen-  
 ter probabilia, quibus Lutheranam aut Papi-  
 sticam vel mihi vel ulli alii paulo penitius  
 tuam expendenti sententiam, persuadere pos-  
 sis. Sperasti me ultro vobis accessurum, ubi  
 venerabilis senex D. Pellicanus animi sui sen-  
 tentiam hac in re mutasset. Aliam vero  
 hactenus Pellicani & mentem & erudi-  
 tionem novi, quam qui falsum facile pro  
 verò recipiat, aut leves quasvis ob cau-  
 sas mutet. Quod si mutaret, ego profe-  
 ctò non penderem ab hominis sententia &  
 mutatione. Scio enim, cui credidi & sentio  
 ejus in mente mea vim, cui credidi. Quæ  
 dedi in præfatione mea ad Apostolorum Epi-  
 stolas per me utcunque expositas, vel hodie,  
 nisi dedissem, darem. Paratus enim sum  
 apertè, expresse, & candidè retractare, cum  
 is mihi obvenerit fidus frater qui solidis scri-  
 pturarum argumentis me erroris convicerit  
 in dogmatibus. Rursus enim fateor, solam  
 scripturam canonicam Spiritu S. inspiratam,  
 unicum certam absolutamque esse veritatis  
 recteque vivendi & judicandi regulam: quæ  
 nec errat ipsa neq; quenquam in errorem ab-  
 ducit, & cætera, quæ in præfatione mea posui.

Di-

Dicis, Lectores nihil habent, quod in tuis cul-  
 pent, præter unicam illam de Eucharistiæ Sa-  
 cramento erroneam doctrinam, quam tu a  
 Zwinglio ante annos plus minus (18.) ho-  
 mo admodum Juvenis & in scholis publicis, ut  
 ferunt, minimè versatus, tanquam per ma-  
 nus accepisti. Nihil gloriari libet de scholis  
 publicis & gradibus. De vera Christi cog-  
 nitione ac fide gloriari malo. Versatus tamen  
 sum ante annos 24. in schola Coloniensi.  
 Usus sum Præceptoribus extra scholam in li-  
 beris, ut vocant, aut extraordinariis lectio-  
 nibus Clariss. Viris, D. Joanne Cæsario, & D.  
 Joanne Sobio. Alioquin auditor fui opti-  
 morum & piæ memoriæ Virorum D. Joan.  
 Matthæi Phrisemii, D. Arnoldi Væsalien-  
 sis, viri undiquaque doctissimi, eximique Philo-  
 sopher, D. Mathiæ Aguen-  
 sis. Degustavi tum  
 quoque Theologiam scholasticam sub D. D.  
 Conrado Koller Ulmensi, prædicatoriæ factio-  
 nis monacho, egregio Thomista. Sed Deo  
 ita volente, & Augustini Erasmi-  
 que libris aliquot prælucentibus,  
 melioribus studiis &  
 sinceriori Theologiæ memet  
 consecrare cœpi. Primi verò  
 omnium Colonienses Theologi,  
 quos ad Prædicatores libenter  
 disputantes audiebam, hunc  
 scrupulum de Sacramento  
 Eucharistiæ injeecerunt. Quem  
 postea mihi S. Augustini lectio  
 exemit. Ac 1522. demum  
 anno discessi Colonia: circa  
 finem anni 1523. primùm  
 vidi Zwinglium nihil dum de Eu-  
 chari-

charistia disputantem. Ubi vero inciperet  
corpoream Christi præsentiam & manduca-  
tionem oppugnare, expendi hominis argu-  
menta ac veritatem apertam, firmiter asser-  
tam scripturis, & jam ante imbibitam, prius-  
quam novissem Zwinglii nomen, non illiben-  
ter recepi, & me partibus ejus junxi, scri-  
bendo, docendo, disputando, prædicando ve-  
ritatis causam juvans. Testantur libri mei de  
*Origine erroris* editi, quantopere me exerci-  
tarim in hæc causa. Ac tum quidem juvenis sa-  
nè eram, qui nunc quadragesimum primum  
annū ago. Sed Deus me semper duxit ad opti-  
mos, & doctis piis fidelibusque donavit præ-  
ceptoribus. Ergo quod ex scripturis, patri-  
bus & optimis Præceptoribus didici atque  
professus sum hæctenus, non facilè mutabo  
vel recantabo, nisi firmis scripturis, & opti-  
morum hominum sententiis mea mihi argu-  
menta fuerint excussa atque confutata. Li-  
bellum Lutheri accepi, ac pro munere ago  
gratias. Miror autem, quali præditus sis  
judicio, permittite mihi quæso bona cum gra-  
tia tua liberè loqui, quod sentio, qui tanta tri-  
buas libello planè furioso. Quod si unquam  
Luthero fuisset addictior, nunc cogerer mi-  
nus illi quam velim tribuere. Quid obsecro  
est in illo toto libro tanto dignum Theologo?  
Vix credas, Marce, quam multorum a se  
animos abalienarit hoc libello Lutherus. Quis  
enim bonus & vere Christiano præditus pe-  
ctore

Etore Vir probavit convitiandi diram illam  
 exemploque carentem rabiem? qualia obse-  
 cro sunt argumenta? aut quot sunt illa, qui-  
 bus inconsistentem suam de cœna sententiam  
 tradit, munit atque commendat? Legi posi-  
 tis affectibus libellum diligenter, ac obstupui,  
 videns Virum illum traditum esse in sensum  
 reprobum. Dominus illum restituat! Mitto  
 vicissim ad te muneris loco, quæ Ministri,  
 hoc est, Pastores, Lectores S. Litterarum,  
 Concionatoresq; Tigurinæ Ecclesiæ Luthero  
 responderunt. Intelliges, Ecclesiam nostram  
 non niti ineptiis. Modestè nunc quidem, &  
 uti semper decet, responsum est ei. Non ad-  
 eo stupidi sunt lectores quin judicare possint  
 qui tueantur & tradant causam meliorem &  
 scripturis magis consentaneam. Non enim  
 pendent omnes ab hominum authoritate &  
 judiciis. Veritas vincet. Quid verò mihi  
 narras Buceri recantationem? Nescio an ille  
 hoc confessurus sit, quod tu de illo scribis, ut  
 autem revocarit minimè, rursus non pendeo  
 a Bucero, non a Luthero. Præterea intelli-  
 go Bucerum de Eucharistia dicentem & scri-  
 bentem, antequam revocavit, a revocatio-  
 ne multa differentem non intelligo. At Do-  
 mini verbum planum est & intelligibile. Hæc  
 paucis, mi Marce, ad tua properanter respon-  
 dere volui. Tu hæc amico profecta pectore  
 expende & accipe. Luthero misissemus ex-  
 emplum nostræ responsionis, sed quoniam  
 ille

ille tam sancte testatur, se porro ne tantillum quidem scriptorum de hac causa, neque ullas a nobis scriptiones accepturum, nihil illi misimus. Ac, nisi ille firmioribus sua nobis commendarit, & evidenter nobis nostra dissolverit non cedent nostri, neque tacebunt. Veritatis agitur negotium, propter quam & vita est ponenda, occumbendumque fortiter. Non ingratham verò rem facies, si illi nostrorum responsionem ostendas. Non enim pudet nos nostræ confessionis & causæ. *Oppugnat nos Papa, oppugnant Anabaptista & alii sectarii. Oppugnat & Lutherus, sed Dei fre-ti auxilio omnibus his nos opponemus. VINCET VERITAS. Regnat & regnabit Christus in secula, cui gloria. Vale, in Domino cum omnibus bonis. Tiguri d. 12. Martii*

A. D. 1545.

III.

Martini BUCERI ad BULLIN-  
GERUM,

*Epistola.*

Optimo (b) & Doctissimo Viro D. Hein-  
richo Bullingero, Ecclesiae Tigurinae  
Pastori, amico suo in Domino ma-  
gnopere colendo & Cha-  
rissimo.

S. D. Primum hunc juvenem omnium ve-  
strum charitati commendamus. Est bonis  
& piis parentibus ortus religioso animo &  
moribus ornatus, & in litteris piis & utilibus o-  
peram fidelem navat. In causa autem commu-  
ni Ecclesiarum utinam Dominus det, ne da-  
tum per scriptum Lutheri scandalum augeatur,  
quod certè fiet, si non vos illo crimine dili-  
genter vindicetis, nos absentis tantum  
Christi inania symbola in sacra cœna agnosce-  
re, & nullam veram, & realem Christi præ-  
sentiam & fruitionem. Verbis enim Domi-  
ni

Class. III. Fasc. VI. Bbbb ni

(b) Videtur haec illa epistola esse quam innuit Lava-  
terus hist. Sacr. p. 33. Et confer. J. H. Hotting. Hist.  
Eccl. T. VI. pag. 816. sqq. J. Jac. Hott. H. E. Helv.  
p. 758. sq.

ni tot Ecclesiæ hoc deferunt, nec immerito, ut non sentiant tantum, sed dicant etiam panem, quem frangimus, non panis tantum, sed etiam corporis Domini esse manducationem, quin communicationem in edendo. Modum hujus libenter talem esse negant, qui cum vel natura veri corporis in Christo vel gloria ejus cœlesti ullo modo pugnet. Alii malunt, ne quo à verbo Dei ratione sua abducantur, sese in caligine verbi Dei continere sine ulla modi hujus inquisitione. Alii de modo explicare quidem aliquid sustinent, sed sic tamen, ut clarè plenisque verbis antea & semper confiteantur, dari & percipi verum Corpus Domini per sacra symbola. Lutherus, quia hoc ingenio est, ut contentione in alterum extremum, quantum potest, sese recipiat, non satis habet, in ipsa se involvere verbi Christi symbola, tamen certum est, eum nihil velle adserere amplius, quam cum pane & vino aliquo modo, sed eo vero & reali, præberi & accipi verum corpus Domini, sed ita tamen ut corpus Domini nec distrahatur locis, nec eximatur gloriâ sua cœlesti. Utinam importunitatem scribendi in nos, magis iniquis suggestoribus illius, quibus eam omnino debemus quam ipsi Luthero attribuire nobis liberet. Tum, quod ille tantum modum severitatis plus nimio excedit, adscribere zelo illius pro sinceritate verbi Domini, non malitiæ, non superbiæ. Illud verò necessarium erit,

erit, nisi calumniatorum crimen apud innumeras Ecclesias subire velitis, nihil illi affingere, ultra hæc, non esse inutilia in Coena symbola, sed dari & percipi in illis, vel cum illis, vel per illa, quæ naturâ semper aliud sunt, corpus & sanguinem Domini. Memores enim vos esse decet, eorum, quæ de simplicitate sententiæ suæ ad vos scripsit manu sua, tum etiam explicavit publicè. Utinam ad majorem purgationem Ecclesiarum vestrarum confessionem ederetis Basileensem, & stare vos illi testaremini. Miserè cruciat dogma illud, certè indignum Christianis doctoribus de salute Idololatrarum tam certa, ut Zwinglii verba scripta sunt. Vulnus hoc Lutheri scripto Ecclesiis inflictum altius est, proh dolor! quam ut vel citò, vel sinè deformi cicatrice obduci sanatum possit. Ideo parcas, quod anxius de tanto tamque iniquo veniente tempore, tamque latè patente scandalo vias vestigo & monstrare coner, quomodo removeri illud queat, vias sane ad id, ad quod vix ab ullis si modò ullis hominibus perveniri potest. Nihil certè magis curæ esse nobis debet, quam ædificatio Ecclesiæ Christi, nihil igitur nobis etiam æque dolere convenit, ac ideo, nec ad amoliendum quicquam aliud tantoperè omnibus nobis elaborandum est, atque hæc tam noxia Ecclesiæ Dei vulnera. Amo & colo vos in Domino sinceriter, proinde valde opto vos servari

ri extra crimen non consistentis cum verbo Dei sententiæ de Eucharistia & calumniam etiam aliorum. Tum & merito illud præcipio ut alieni appareatis ab omni cupiditate ulciscendi vos vel etiam vestra vindicandi nimum. Per Christum rogo condones mihi momenti tam multum: omnino gratissimum facies, si id invicem præstes mihi. Quod nuper scripsi de excusa Bibliotheca Gelsneri, id rogo & oro etiam atque etiam cordi sit tibi. Optimè valete & pro Colonienſi diligenter orate, jam enim publicè Clerus Colonienſis ei suum Episcopatum negavit. Ferociunt propter vicinum & victorem Imperatorem. Dominus eos reprimat. Amen. Ille fortis adhuc perſtat cum Christo.

*Argentina, 8. Novemb. 1544.*

**M. Bucerus vester totus in Domino!**

**IV.**

*Doctissimo & Optimo Viro Domino,*

**Henrico Bullingero, S. P.**

**A**Doleſcens ille cupit, ſe tibi à me commendatum eſſe, non potui ei denegare hoc officii, tamenſi ante hac tibi non ſcripſerim unquam, ſed obtemperandum fuit honeſtæ voluntati ſtudioſiſſimi & optimi juvenis quem tibi ſanè etiam atque etiam commendo. Lutherus

therus valde acerbum divulgavit Anathema,  
 rogo, ne patiamini nos permoveri a tali Ora-  
 tore iracundo magis hoc tempore, quam æquo.  
 Donate id discerptæ Ecclesiæ, & repugnantibus  
 etiam hominibus operam demus, ut lacera ejus  
 membra aliquo modo revalescant. Etiam à  
 vobis vehemens carmen profectum fuit in  
 Osiandrum, neque illud velim factum; at læsit  
 prior, verum iste Poeta momordit magis do-  
 lorificè. Non demus occasionem hostibus  
 majorem quam data sit hætenus; ignosce  
 mihi, quòd liberius ad te, quam oporteat.  
 Nolo monitor esse, sed precator, & obsecro,  
 ut aliquid impetrem. Cupio & opto omnes  
 vos salvos & incolumes esse, & nominatim  
 senem vestrum Patrem Pellicanum.

Vale, Argentorati Octavâ Nov.

1544.

Sturmius.

**JOHANNIS la PLA-**  
**CETTE,**

Theologi celeberrimi ex monu-  
mentis,

a Nobilissima ejus Filia,

*Domina D' Apremon*

exhibitis concinnata.

**J**ohannes la PLACETTE, dignissimus & præ-  
stantissimus sui temporis Theologus, die  
Januarii decimo nono, Anni MDCXXXIX.  
Pontaci, in Provincia Bearnia natus est,  
ubi ejus Pater pastorem tum egit. Ce-  
perat illum à primo jam ætatis exordio miri-  
ficus impetus intendendi ad studia animum,  
quæ adeo prosperè etiam ei & ex sententia  
sucefferunt, ut postquam Sacræ Theologiæ se  
totum dedidisset, illos in Academia Montis  
Albani degens brevi in ea progressus fecerit,  
quibus A. MDCLX. ætatis suæ XXI. dignus  
fuit habitus cum ministeriali ordinatione, tum  
& parœcia *Artesia* in oppidulo Bearnia, ubi  
æqualem ac parem verbis vitam agens, per 4.  
an-

annorum spatium suum munus ingenti cum fructu obiit. Sed quod bonis ibi initiis exorsus esset, & crescente per provincias famam eximia viri dona innotescerent, accitus fuit ad coetum urbis *Nay*, in eadem provincia sitae, & ejus Ecclesiae designatus Pastor. Tot vero ibi etiam insignis eruditionis, pietatis, prudentiae atque ingenii specimina praebentem mox iterum inter alias Ecclesia Carentoniensis quantum in se est, elaboravit, ut ad se alliceret. Hinc quamvis jam Carentoniensibus de hoc se gratias habere declarasset Placettius, Consistorium tamen ejus coetus ultima experiri voluit, & ad ipsum quidem Vocationem, ad Consistorium autem *Nayense* literas misit, quibus obnixè illius assessores rogavit, ut si fieri possit, D. Placettium inducerent ad spartam oblatam amplectendum vel eam obrationem, quod in sua Ecclesia tanto copiosiore & ornatiore ex charismatibus ejus plus lucri in causam communem redundare possit. At honorificae hujus conditionis splendor quicquid etiam majoris commodi promittere videretur nullam ipsius oculis offundere potuit caliginem, multoque minus ad omnia confirmatum animum eò adducere, ut amantissimum gregem, atque in ipsum, tanquam omnium virtutum verissimum exemplar, suavissime effusum, destitueret subito. Adhaesit igitur suis ovibus, iis summo studio intimoque sensu conjunctus, ad finem

usque anni MDCLXXXV. quo tempore Edicto Nannetensi refixo, unam cum reliquis Ecclesiarum Reformatarū in Gallia Ministris, suam Ecclesiam, Patriam, fortunæ denique bona omnia proh dolor! sat superque derelinquere coactus fuit. Magnum interim ejus Viri nomen erat in exteris quoque regionibus. Parisiis cum etiamnum esset, proxime ante suum ex isto Regno discessum, Serenissimus Elector Brandenburgicus ipsi detulit & pollicitus est vocationem ad Ecclesiam Gallicam Regiomonti in Borussia. Itaque sine mora NOSTER per Hollandiam iter faciens Berolinum se contulit, quò jam fama ipsum & magna existimatio præcesserat. Elector præterea in Francicos profugos optimè animatus, & Placettii hujus sumorum meritorū haud ignarus, suam liberore voluit fidem. Verum Daniæ Regina, beatissimæ & gloriosissimæ memoriæ, cum istiusmodi pastoris desiderio teneretur, qui aliquam jam nominis claritudinem indeptus, Ecclesiæ Gallicæ, Hafniensi, adhuc constituendæ, dignè præfici posset, Electorem prævertit, & prima fuit, cui suam fidem, omni cum observantia & gratiarum actione, tantæ Reginæ debitâ, obstrixit Placettius, idque Reginæ efflagitatum, suo assensu confirmavit Elector. Migrans ergo in Daniam A. MDCLXXXVI. Hafniæ Evangelii ministerio in Ecclesia Gallica functus, magno cum suo honore, & haud exiguo fructu

fructu, ad annum usque 1710. ex quo prope  
 acta jam ætate decursâque, viribus ad illud  
 officium obeundum necessariis, destituebatur.  
 Per totum vero istud tempus non tantum o-  
 mnibus muneris sui partibus egregie est de-  
 functus, verum etiam plures, exquisitâ omnes  
 arte elaboratos, in lucem edidit Tractatus  
 sive Gallicos sive Latinos, quos brevi deinde  
 singulos recensebimus; Tantum ex iis omni-  
 bus honorem tantamque gloriam apud omnes  
 veritatis pietatisq; sectatores, quin imo totam  
 Eruditorum nostri seculi cohortem, est conse-  
 cutus, ut etiam Kilkennii in Irlandia, ab iis,  
 quibus Universitatem ibi fundare stabat ani-  
 mus, Professor denominaretur; Sed ut volubi-  
 li varioque ingenio non erat, ministerio ver-  
 bi Divini, cui longo abhinc tempore, totum  
 sese devoverat, protinus valedicere noluit,  
 quare illis, qui hanc conditionem ei offere-  
 bant, maximas simul gratias egit, & istum  
 honorem, cum ei pateret, recusavit. Com-  
 moratus Hafniæ ad annum usque 1711. quo  
 Reginam Oldenburgum comitabatur, ut paulo  
 inferius videbimus.

Nullus forsan unquam Pastor majori existi-  
 matione claruit, quam Placettius. Domina ejus  
 suprema illum magni faciebat, populus omni  
 amoris & honoris obsequio prosequabatur,  
 Collegæ suspiciebant & reverebantur ut Patrē,  
 ipsi Lutherani, quos medios inter vivebat,  
 illum observabant, & Episcopus etiam Hafni-

ensis fertur sæpe honorificos de illo habuisse sermones. Justi debitiq̄ue honores viro tot meritis claro. Singulæ ejus ad populum orationes, ut ex ejus scriptis patet, solide erant eruditæ, corda perstringentes, veritati claræ lucem afferentes & ut verbo dicam, optimis quibuscunque, multitudini etiam, denique omnibus egregiè probatæ. In visitatione ægrorum gregis sui erat indefessus, in eo ferè primum pastoris officium merito constituens, quod dolentium & afflictorum consternatos animos erigat, perterrefactos confirmet, suæque salutis desperantes recreet. Hinc nullæ ipsi temporis injuriæ, nulla cœli tempestas, non longinquior disjunctio inhibere poterat; Zelo & amore erga unumquemque ex suo cœtu obstacula superavit omnia. Illi ejus fuerunt mores, qui sacris consonarint concionibus, illæ ejus actiones, quæ confirmarint doctrinam, atque ea prudentia, quæ sinè exceptione omnibus possit & debeat esse exemplo. Mirari ergo nemo debet, si quotquot Pastorem hunc præclarissimis hisce animi dotibus ac ornamentis excellentem instructumque omnibus Christianis virtutibus noverunt unquam, amârunt & honorarunt omnes.

Experientia enim nos docet, nihil esse quo animis cœtus sui efficacius illabi Pastores queunt, quam ubi cum frequenti singulorum, præcipue infirmorum visitatione ac consola-

tione vitæ inculpatæ tenorem jungunt. En & aliud optimi Pastoris in Placettio nostro criterium. Quamvis sæviens, Maximi vitæ mortisque arbitri judicio, pestilentia Hafniam graviter affligeret, laceraretque exitialiter, hic tamen eousq; præsens, in tam maligna conditione temporis, hac ex parte, nullâ vitæ sanitatisque suæ habitâ ratione, sui gregis sollicitudines allevare voluit, fluctuantesque eorum animos componere, quousque tandem à Regina, quæ & ipsa, quoad transierit ista contagio, Oldenburgum se receperat, ipsi injunctum fuit, ut eò Majestatem suam comitaretur, in quo etiam, ut ejus erat consuetudo, suæ Principis jussa aspectavit, Eamque mox, derelictâ Hafnia afflicto licet ob periculum, in quo cœtus ejus versabatur, animo est insecutus. In illa urbe uxorem suam, a tot annis vitæ factorumque fidissimam sociam tristi ipsi casu amisit. Regina cum brevi deinde ipsum in Hollandiam mitteret A. sc. MDCCXII. ut qui in duorum Ecclesiæ Hafniensis Gallicæ Pastorum loca rectoribus vacua, surrogari mereantur, conquisitè ibi eligat, hæc ejus Imperia Hagæ cum primis est executus. Illius autem in Daniam reditum, cum jam violenta cessaret lues, suâ etiam Hafniæ repetitâ commoratione, Regina vehementer licet expectaret, ut ejus, in quo singularem fiduciam collocabat, cujusque eximiis sermonibus sæpe ejus animus recreatus fuit, alloquio fruerint,

neretur vel in articulo mortis, quem prope-  
 diem, Ao. sc. 1714. instantem hoc ipso quasi  
 præcognovisse videtur, ætate tamen confectus  
 Placettius longi hujus itineris incommoda re-  
 formidans, quam potuit studiosissime à Regina  
 contendit, ut ipsi tranquillam ac placidam in  
 Hollandia commorationem concedat, quam  
 etiam obtinuit non tantum, sed & integri,  
 quod ei Ministerio fungenti concessum erat, sa-  
 larii usuram eidem merito Clementissima Re-  
 gina ad dies vitæ obtulit. Quod cum gene-  
 rose declinaret, aliquam tamen ejus partem  
 recipere necessum habuit. Hagæ moram  
 duorum circiter annorum traxit, intra quod  
 tempus, quotquot quidem hominibus notus  
 erat, ii omnes honorem ipsi habuere atque  
 exhibuere venerationem. Postea vero  
 quam Ultrajectum veniret ad filiam, quam  
 tenerrimè amabat, generumque suum, Chiliar-  
 cham, Dominum D' Apremon, hic à Belgo-  
 Gallicanis Ministris rogatur, ut ipsorum syno-  
 do interesse dignetur atque ipsis in certis qui-  
 busdam negotiis prudentissima sua consilia af-  
 ferret, in quo igitur pro viribus lubens ipsis gra-  
 tificatus fuit. Abhinc tandem, ut digredien-  
 do à mundo suam salutem æternam ani-  
 mo versaret magè, ac nunquam non de DEO  
 suo cogitaret, rure habitare voluit Placettius.  
 Dominus d' Apremon in eum ergo finem  
 domum conduxit amœnissimam, & duobus  
 tantum leucis Ultrajecto distantem, quam  
 jam

jam posset introire mense Maji, illiusque talem socero suo descriptionem fecit, quâ venerabilis ille senex, specie conceptâ animo ornatissimâ, reddebatur impatiens donec veniat ille mensis, quo se mundanis omnibus impeditum expediret, & dies superstites Deo unicè consecraret, atque sic vitam, in alta quiete, campestribus tantum, in locis obvia, finiret; sed Deus hæc longe aliter ordinans, antequam adhuc caducis atque fluxis, innoxii licet, istis voluptatibus exultare daretur, ipsum in æterna transtulit cœli gaudia. Morbo enim, circiter quindecim dies, ex provecta senectute, viri-umque tenuitate orto afflictatus, cum jam octuagesimum subiret annum, suam animam in Creatoris ac Salvatoris manu reposuit, huc se parans tam precibus, quas cum Gallicæ Ecclesiæ Ministris summo Numini obtulit, quam auditu ac meditatione sui Tractatus *de morte justorum*, pro quo, maximum inde solatium reportans, Deo qui facultatem ejus conscribendi concessit, summas sæpe gratias egit. Sed quod accrescente infirmitate corporis, sensibus fraudaretur mage, ac difficultate sermonis inciperet laborare, qui ipsum circumstabant, cum vix & ne vix quidem, quid diceret, intellexissent, perfectissimâ consolatione, quam cœteroquin ultimi hujus fidelissimi J. C. servi sermones, ipsis attulissent, destituti fuere. Nihilo tamen secius, ex iis quæ ab eo percipi poterant, quamvis pauca ea  
 fu-

fuerint, cognosci tum ejus patientia potuit atq;  
 in Dei voluntate plenissima acquiescentia tum  
 conscientia tranquillitas & ardens mentis vi-  
 dendi Deū à facie ad faciem desiderium, cujus  
 summum apicem tum cum primis attigit, quan-  
 do præfente jam mortis prædefinito tempore  
 animam beatissimam leni exitu efflavit, unicā  
 ex uxore susceptā filiā virtutibus instructā o-  
 mnibus Juditha, quæ ipso etiamnum vivente  
 D' Apremontio nupsit, vitæque humiliter &  
 Christiane gesta abunde demonstravit, quan-  
 tum ex monitis & exemplo tam illustris Pa-  
 rentis profecerit. Illo enim vero præclaro viro  
 comius aut humanius nihil unquam fuit, quod-  
 que apud præcipuos sæculi nostri viros rarius  
 reperire est, modestissimus simul, cui nullum  
 plane in tam eximiis virtutibus supercilium,  
 quique ab eorum semper numero quam lon-  
 gissime separatus fuit, de quibus Apostolus in-  
 quit, quod scientia intumescant, è contra ve-  
 ro, omnibus licet virtutis doctrinaeque pal-  
 mam magnò omniū consensu, præripens, alios  
 tamen majoris semper habuit, quam se ipsum.  
 Ac etsi nemo erat, quocum libentius esset,  
 quam cum istis ita dictis mortuis, in suo Mu-  
 seo ritè ordinatis, incultè tamen ac horride  
 nunquam vixit, hominumque congressus fu-  
 git, sed observantiā amicos retinuit, parti-  
 busque omnibus officii boni Civis satisfecit.  
 Verum quidem satisque notum est, moralia  
 ejus quibusdam justo videri severiora. at  
 num

num gravi, quo preminur seculo, quo scelera regnant, sævit impietas furens, aspera nimis tradi poterit Ethica? an via salutis, quæque ad cœlum ducit, iis, qui reverâ prolixiorẽ commodiorem & ampliorem vellent, angustior atque arctior, quam par est, describi? nonne & dilectus ille Christi discipulus, Petrus Apostolus, docet, quod justus difficulter servetur? Atque quod in ea re præcipuum est, nefasque si omitterem, nihil requisivit Placettius, quam quæ possibilia esse suo exemplo docuit, nihilque inculcavit aliis, quod in praxi neglexisset ipse; eam igitur ob causã magnũ apud omnes Sanctos litteratosq; viros moriens sui desiderium reliquit, cujus ut minimum nomen, ejus integritas & eruditio, varia etiam opuscula, typis atque optimorum animis impressa ad Ieros nepotes, perpetuabunt. Alia quidem enim in ejus Museo fuere reperta Manuscripta prelo nunquam excusa, eaque in Hiberniam ad D. fratrem illius Pastorem anglicum meritissimũ transmissa, ut si necessarium judicet, ea dein publici quoque juris faciat. Inter illa est liber quidam prolixus, qui Volumen in folio, ut dicitur, facile conficiet, de controversiis Ecclesiæ nostræ cum Romana, præsertim *de infallibilitate Ecclesiæ*, quam Pontificii prætendunt, agens. Opus, cujus publicationem celebris ille *Claudius*, Carentoniensis Pastor, aliique viri docti impense desiderarunt, sed cum editor deficeret,

ret, in schedis hactenus latet. Specimen illius dedit in tractatu *de insanabili Ecclesie Romanae scepticismo*, & adjecta disputatione *de multiplici, quae Ecclesie Romanae ejusque Partibus tribui solet, infallibilitate*.

Cæterorum librorum a Placettio editorum syllabum Classis II. Fasc. II. p. 370. sq. jam exhibuimus. Omissus tamen est Anglicus: *Sixe conference &c. sive de Eucharistia* tractatus, cujus MS. Gallicum Author transmisit Episcopo Cantuariensi, ut sub censura ejus in Gallia inprimeretur. Præsul vero ille tam egregium solidumque deprehendit, ut translatum Anglice, non vero Gallice, prodire curaret. Tantum Clarissimi Placettii etiam in Germania nomen est, ut plerique jam tractatus in illa vernacule legantur. *La communion devote* bis Germanice prodiit, primo interprete D. Jablonskio, dein Vomradio, illo Regi Borussiae, hoc Principi Dessaviensi a concionibus aulicis. Scripta Theologiam moralem concernentia ferme omnia spisso volumine simul juncta anno superiore prodierunt.

VIII.

V I T A

ABRAHAMI TROM-  
MII,

Theologi Groningani.

**C**Um ad manus nostras pervenerit programma, quo Venerandi Trommii, 18<sup>to</sup> *maximè* funus anno præterito est indictum, ad Viri de Ecclesia Reformata optime meriti memoriam conservandam ex eo sequentia exhibemus. Natus est Groningæ anno prioris sæculi tertio & tricesimo, a. d. XXIII. mensis Augusti Juliani, in quem Academia Groningana natalis incurrit: honestis ortus parentibus, ejusdem Urbis civibus Patre JOHANNE TROM Collegii *Juratorum* Membro, Vicorum Præfecto (vulgo Kluftheer) & Ecclesiæ Seniore; Matre MAGDALENA MARTERSTEK Matriona optima: hanc Anno 1653. amisit, Patre orbatus An. 1670. A Parentibus suis jam inde ab incunabulis studiis fuit sacris destinatus, quæ vota Deus audivit. Post deposita feliciter puerilium exercitiorum rudimenta, cum laude e Gymnasio urbano Class. III. Fasc. VI. Cccc est

est dimissus & Academiae civibus adscriptus  
anno ætatis septimo decimo.

TROMMIO erat deliberatum, ut legiti-  
mos faceret studiorum gradus, ne illotis ma-  
nibus ad res sacras accederet: Florebant eo  
tempore in urbe patria Viri magni nominis  
eruditionis fama Clarissimi *Samuel Maresius*,  
*Abdias Widmarius*, *Jacobus Altingius*, *Tobias*  
*Andree*, *Martinus Schoockius*: sub horum du-  
ctu se primum in propædeuticis graviter  
exercuit & in Philologicis, Philosophicis, Lin-  
guisque addiscendis per integrum triennium  
fuit occupatus. Ut ostenderet se nulli Philo-  
sophorum sectæ addictum esse, Orationem de  
*Libertate Philosophica*, typis deinde descriptam,  
publice recitavit. In Theologiæ disciplina  
& arte concionandi tantos brevi tempore fe-  
cit progressus, ut An. 1655. die 5. Martii Exa-  
men Theologicum subierit & in numerum  
Candidatorum S. S. Theol. cum præconio  
fuerit receptus. Vix mense interposito, ad  
majorem ingenii cultum capiendum, peregri-  
nationem suscepit satis longam per Germa-  
niam, Helvetiam, Allobroges, Gallias, Bri-  
tanniam, ad Belgas & inde domum post elap-  
sum biennium redux. Academias celebres  
in primis obivit, in nonnullis, veluti Basileen-  
si, Genevensi, Salmuriensi studiorum causa  
& ut Viris Claris innotesceret, diutius mora-  
tus. Tantum quod domum redierat, quan-  
do ipsi commissa est Ecclesiæ Harenis cura,  
quam

quam per annos XIV. fidelissime egit. Ista in statione collocatus sibi felici copula junxit vitæ sociam Virginem Ornatissimam HILLEGONDAM filiam *Johannis Martini* Pastoris Groningani. Ex illo matrimonio per annos fere XXXIV. continuato Liberos suscepit octo, omnes ante Patrem defunctos. *Magdalena, Eligunda, Hillegonda, Johanna* tenera ætate obierunt. *Magdalena* altera Virgo multis animi corporisque dotibus conspicua nupsit Viro Reverendo WIBRANDO HARTZMA, antea in *Mensingeewer & Maerslach* nunc in Ecclesia *Henrumensi* Verbi Divini Præconi facundissimo. Inde noster duos vidit nepotes *Abrahamum & Eermannum* neptemque unam *Hillegondam*. *Eligunda* altera TROMMII filia, filiusque Unicus JOANNES MARTINUS magnæ spei Juvenis annum ætatis vicesimum non expleverunt. *Catharina* natu minima nupta primum *Petro Tettama* causarum Patrono & deinde *Balthasari Steenwyk* signifero, obiit biennio ante maritum relicto filiolo *Joanne* orbitatem suam non sentiente.

Ann. 1692. transiit TROMMIUS ad secunda vota ducta in uxorem vidua Viri Consuetissimi *Abrahami Schoock* Senatui Groningano quondam ab actis, *Theodora ter Braek*. Hac demortua tertiam Conjugem domum duxit *Elisabetham Coe*, *Davide Hagenet* hujus Reipublicæ Monetario viduatam. Ista etiam Com-

pare orbatus, tandem An. 1699. quartum ultimumque, ut speravit, contraxit matrimonium suadente id ætate auxilii indiga, & quum rem domesticam ipse curare non posset: quæsivit igitur & invenit conditionem placentem, Matrem familias optimam HELENAM à MARK filiam Pauli à Mark Quæstoris Omlandorum integerrimi, viduam Hermani ab Oostbroek Locum tenentis militaris, quæ nunc cum tota familia Filioque suo unico Viro Consultissimo PAULO ab OOSTBROEK in XXXVI. Juratorum hujus Urbis Collegium nuper cooptato, Celebris causarum Patrono beati TROMMII mortem lugeat.

Cæterum Rev: TROMMIUS An. 1671. quum belli gravissimi tempestas huic Urbi immineret, singulari Dei providentia ab Ecclesia Harenfi ad Groninganam fuit translatus. Hanc spartam per annos XLVIII. sustinuit & in munere Pastoris obeundo ita se gessit, ut decet fidelem in Vineam Domini Operarium. Toto autem illo tempore Epistolam ad Hebræos, Acta Apostolorum, utramque Epistolam ad Corinthios & denique ad Galatas pro concione doctissime explicuit. Concordantiæ Belgicæ V. & N. T. itemque Græcæ LXX. Interpretum magnam Viri famam concitarunt. Utrique operi annos XLIV. insumsit, & extrema ætate Concordantias Belgicas in meliorem

orem

orem & commodiorem ordinem redegit prælo iterum paratas. Ecclesia sane totusque Orbis Litterarius ingentes TROMMIO gratias debent, quod tantum tædii, laboris, molestiarum in Operibus laboriosissimis concinnandis subierit, ut aliis commodaret. De scriptis minoribus ab Eo publicatis aliquid addere vetant temporis angustia. (a) Academia gratum suum animum erga Viri merita declarare volens, Illum non ita pridem, nil tale expectantem, ultro honoris causa SS. Theologiae DOCTORIS titulo auxit, ut novum hac ratione illi Ordini accederet ornamentum. Valetudine usus est satis firma raroque morbis debilitata; hinc læta & viridis Ipsi contigit senectus, ac tantum non integræ Grandævo TROMMIO animi corporisque mansere vires. Die XIV. Maji minus recte valere cœpit, nihilominus ad Concionem sacram perrexit & Quæstionem Catecheseos LII. de Piorum solatio ex reditu Christi ad

Cccc 3

Ju-

(a) Refer huc: Het kort begrip der Christelike Religie met Schriftuurplaatsen afgedeeft in XII. Weken. 1718.

De historie ende lyden onses Heeren Jesu Christi vervat in 34. Texten uit de IV. Evangelisten. 1714.

Kleindere catechisatie over de Christelike Catechismus der Gereformeerde Nederlantse gemeente.

Cæterorum ad Concordantias Græcas spectantium Eristicorum scriptorum supra suis locis mentio jam facta est.

Judicium in Templo Amnico explicavit, ac  
 postridie exercitia consueta obivit, Ab eo  
 tempore primū febris periodica dein fere con-  
 tinua fuit correptus: auxilium ab arte Medi-  
 ca Aegro attulerunt Doctores Peritissimi Bru-  
 cherus & Wullenius; sed artem omnem  
 elusit morbi contumacia & præcipue senilis  
 ætas, morbus ipsa. Tandem die Lunæ  
 XXIX. Maji hora XI. ante meridiem erectus  
 & spei plenus inter suorum lacrimas & pre-  
 ces animam Creatori reddidit. Sic vixit, sic  
 finitus est Rev. TROMMIUS Vir Doctus,  
 Pius, Moderatus, si quisquam alius A.  
 Christi MDCCXIX. ætatis LXXXVI, mu-  
 neris ecclesiastici LXII.

IX.

Epistolæ duæ

TH. JANSSONI ab AL-  
MELOVEEN,

ad

JOH. D'OUTREINIUM.

Continentes Observationes quasdam  
ad hujus Tractatum Vernacu-  
lum, cui titulus,

*De Taberna akel Gods onder de menschen. &c.*

Joh. I: 14.

A.

**A**Dmodum fertile solum tuum Muse-  
um, tuque studiosissimus & dili-  
gentissimus es colonus, qui & me-  
dio tempore brumali ac horrido,  
quo summa solitudo ac nuditas,  
non desinistam suaves apponere fructus, &  
invitis nivibus ringentique gelu ædificare ta-  
bernaculum, quo in visitur ipse *Christus* ejusque  
ante sæcula bene multa accurate delineata  
imago. Hoc ut strenæ fuit allatum loco, è  
manu non deposui prius quam evolverim vel

centesimam paginam. In iis deprehendi multa congesta, sic namque soles, erudita & jucunda, quæ pauculas hæc pepererunt, nescio an tua lectione dignas animadversiones.

Eleganti in exordio *scalam Jacobi* interpretaris ipsum *Christum*, quam ego exposui olim *Catenam beneficiorum Dei*, a Christo, in ejus summitate assistente, in *Jacobum*, id est *Ecclesiam*, effundendorum promissam designatamque. Quorum portatores ac distributores quis negaverit angelos, continuo demissos, quos piorum preces ad Deum deferre multi ex patribus credidere. *Cassiodor. ad Psalm. XXII. v. 37.* Ut sileam varia officia quæ Ecclesiæ præstiterunt *Act. VII: 38. Galat. III: 10.* Et ipsi Christo *Matth. IV: 11.* Varii numero, qui variè memorantur ut Gabriel, alii.

Pag. 22. docetur quod *σάρξ* significet hominem, ita occurrit, ut puto, *Genes. VI: 12. Joël II: 28. Actor. II: 17.*

Cum pag. 37. dicatur *σκηνή ἢ ἀπὸ ξυλῶν* optime refertur hoc I. ad *tabernaculum Moysis*, constans *asseribus, tabulis ac velis Exod. XXV. 5. § XXVI. 14.* II. non minus eleganter ad ipsum *hominem* auctore *Jobo X. 11.* *Ossa* recte quasi *ligna, firmamenta* indicante.

Pag. 42. scribis Christum sibi parasse corpus, quod videtur adversari loco Pauli ad *Hebræos X: 5.* [Resp: hæc non pugnant. Opera enim ad extra omnibus personis communia sunt.]  
J. D. O. P. 48.

P. 48. doces in deserto erectum a Moyse tabernaculum. Tuis adjicio illud per XL. annos in eo circumvectum *Exod. XVI. 35.* quemadmodum ipse Christus XL. dies abductus hæsit in deserto, jam modo ante a præcursore Joanne Baptista in eremo aperte designatus prædicatusque. *Matth. III: 1.* Dubito an ausim addere *tabernaculum* ex sponte oblati constructum & confectum. *Exod. XXV. 2.* Christum certe *seipsum* obtulisse, dilucide satis demonstrat David Ode XL: 9. quod Te tamen video pagina proxime sequenti 49. alio exemplo illustrare.

Pag. 57. 58. in depingendo, enarrando exponendoque omni instrumento atque ornatu apparatuque Tabernaculi, nescio an studio, an qua alia ductus ratione, omittis ipsam *arcam*; ejus *operculum*, & de quibus verbo *Omittis arcam.*

p. 76. binos illos decantatissimos *Cherubinos*, propitiatorium continuo intuentes, ut fileam XI. tabernaculi *CORTINAS* de quibus Moyse *Exod. XXV. 10. 17. us. 20. & Exod. XXVI. 7.* Quæ omnia ita paucis expono.

*Arca* non nisi servandæ legi videtur unice constituta, atque adeo initi fœderis custos. Quid, quæso, *Christus* aliud quam viva lex, imo utriusque legis sanctissimum conditorium. Si compares *Psalms XL: 9. Jes. LI: 4. Joan. XIII:*

Cccc 5

34.

(Resp. non omisi. pag. enim 58. considero Christum, in cœlis Glorificatum *Arcae* Antitypum. J.D.O.)

34. & inprimis universum Matthæi caput V.

Arcae illius proximum tegumentum, & sit mihi fas ita loqui, operculum seu *propitiatorium*, quid, amabo, significavit aliud quam carnem Christi ejusque animæ carcerem, ac Mysterii obtegmen, quod intuentes Apostoli, discipuli Christi nullo modo potuerunt intelligere ac percipere, fatente ipso Paulo ad Corinth. I. XIII. 12. ac *Joann.* I. c: III. 2. qui forte idem qui angelorum intuitus *1. Petr.* I. 12. Oraculum autem illud divinum a propitiatorio profectum, nonne satis exponitur ad *Hébr.* I: 1. ubi ipsa nubes Christi corpus, quantum, præeunte D. Hieronymo ad *Esai.* C. XIX. perspicere possum, significavit, uti enim è nube primis responsa dabat Deus, ita posterioribus temporibus per dilectissimi filios ad populum suum est loquutus. Mavis Cherubinos typos angelorum in Christi sepulchro a capite ac pedibus consistentes, a discipulis inspectos, *Joan.* XX: 12. non refragabor.

Absolvam hac appendice XI. *cortinas*, ignosce si paulo liberius indulgeam allegoriis, me interpretari XI. discipulos atque Apostolos, qui continuo fere tegere solebant Christi latera, haud aliter ac tabernaculum undecim illis cortinis circumscribebatur.

Accipe, quoniam ita voluisti hæc paucula, amice optime, manu benigna, expende animo favente ac benevolo, & quæ ex iis probaris,

baris, quæve porro justis rationibus expunxeris, rejeceris, ac pro jure tuo summo aboleris, fac sciam quam proxime ut, adeo tua confirmatio sit adjutrix nostræ industriæ, lubens, siquid in tuam rem queam conferre, faxim. Tu mei etiam in precibus vive memor. Salvere ac valere Te tuamque Cajam mecum jubet mea parens. Dab. Harderovic. Ips. Kalend. Febr. elo l<sup>o</sup> cci.

B.

Occupatum districtumque Te multis negotiis curisq; inficiabitur aut mirabitur nullus qui munus novit ecclesiasticum, quiq; pendit preli currentis fata, ut incerta ac inopina, ita plurima. Expertus scribo, vereor ne ipse olim in idem incurram vitium, quod me putas in Te reprehendere, Absit secius ut quid cogitem nedum dicam. Longum est quod tuos in me perspiciam sentiamque amores singulares, dulces, utiles, quosque precor perpetuos. Cum nostro Vechovio mihi esse super omnibus dubiis literariis commercium gaudeo, utinam mihi liceret esse adeo beato, ut sufficerem ei & aliis, sed temporis angustia id denegant. Ceterum nihil facio prius, nihil majore cum voluptate, unum tamen hoc præ primis defleo, vel responsionibus non posse satisfacere semper, aut digna satis non reperire. Si N.N. quod equidem nullus  
dubi-

dubito, consenserit Arnhemienſi via atque adeo tua opera poterimus uti, modo moleſti non ſimus nimium. Nuper contendebamus num *Chriſtus*, apud Sueton. in Claudio, quo impulſore Judæi tumultuantes Roma ejecti, idem ſit qui noſter Servator *Chriſtus*. Affirmabat N. N. ego cum viris doctis, quos, ne nova proſus haberetur opinio, enumeravi, negabam. Addidi rationes quas ille conatus eſt evertere argumentis quæ tamen omnia utroque non premo pollice. Ultima a me ei propoſita quæſtio fuit, quare Joannes Baptiſta *Matth. XI. 3.* carcere incluſus per diſcipulos requiri ex Chriſto juffit, *is ne eſſet verus Meſſias an alius foret expectandus*, ad quam proximis, quas miſiſti, reſpondit. Tibi quid videatur fac ſciam.

Quæ in contemplando Dei Tabernaculo, a Te exacte delineato obſervavi, porro hæc ſunt.

Pag. 58. ais *Arcam Chriſtum* referre. Optime, nam arca ſolium ſignificare poteſt dici, cujus angeli appoſiti ſatellites fuerunt, uti indicatur pag. 71.

P. 70. Docetur tabernaculum *nube* fuiſſe circumfuſum & adumbratum, quod elegans audit *Chriſti* ſymbolum, nube quoque ſæpius obducti teſtibus evangeliftis *Matth. XVII. 5.* Idem diis ſuis adſcribere gentes.

P. 77. *Metator*. Licet vocabulum hoc aliis ſignificet *mediatorem*, putem tamen non inepte

epte exponi *designatorem* & *procuratorem* *hospitii*.

P. 98. *Comparas Christi majestatem cum ea quæ fuit Salomonis. Recte. Sed hoc equidem discrimine, quod Salomo acceperit ab alio, Christus habeat per se ipse. Salomo regnet post patrem Davidem, Christus una cum patre.*

P. 113. *Exponis quid sit videre Deum. Memini me hac de re agere & colligere quædam pag. 121. & seqq. specim. Antiq. e. Sac. profan.*

P. 120. *Eenige vorstelyke personagien uit het Oostem. Matth. 11, quinam illi ethnici an Judæi? mihi Judæi videntur, quoniam de Messix adventu nihil plane cognoverint gentiles.*

P. 302. *Nubem, Israelitas obumbrantem, vocas een Columme] scitissime. Columna enim in basi non modo est perquam lata & ampla, quo firmiter possit stare, sed etiam patula in parte superiore, ut solidius ac fortius sustineat & impositum ac innitens ædificium atque hæc ratio est quare formæ non potuerit, nec debuerit fuisse pyramidalis. Notat Paulus ad Galat. II, 9. Joannem, Jacobum, Cephæ habitos columnas ecclesiæ quanto magis ipse mediator Christus, columna & maxima & præcipua.*

P. 303. *Eleganter doces nubem illam tantum aquæ non effudisse uti foret extinguendæ graviori Israelitarum siti. Quod autem putet Psalm LXVIII, describi, ex nube ignife-*

ra columnam, non sequor, quum posset fortassis objici Deum præmisisse alias nubes aquam effundentes, qua pulverulentam ac folis radiis ardentissimis urentem viam, redderet commodiorem ac temperatam pedibus. Moris utique fuit regibus iter facientibus ut viæ arenosæ & pulverulentæ aquis conspergerentur. *Sueton. Calig. 43.*

P. 303. *Scribis om dat Paulus segt dat de Israeliten onder of door middel van de Wolke gedoopt syn.* Quibus videris docere Israelitas nube baptizatos. *1. Cor. X, 2.* mihi plane alia ejus loci Paulini expositio est, autumanti Paulum dicere velle, non Israelitas ipsos baptizatos sed in Moysse solummodo siquidem is in nubem densam *Exod. XIX, 9. 16.* solus fuit ingressus *Exod. XX, 21.* non vero populus *Exod. XIX, 21. 24. & XX, 21. Hebr. XII, 18.* Haud aliter itaque dicam baptizatos, ac *Rom. V, 12.* dicimur in Adamo omnes peccasse, in eodem mori *1. ad Corinth. XV, 22.* siquidem eramus tunc in lumbis, uti de Levi dicitur ad *Hebr. VII, 10.* sed de hisce ulterius mihi est cogitandum. Juvare tamen videtur Augustinus ad Psalm. 77. locum hunc legens ac si scriptum fuisset *in Moysse.* Tu hæc & quæ sequuntur expende, dignus enim est vindice nodus, plus utique est Tibi otii, plus ingenii, plus eruditionis, immo vestri sunt plane fori.

I. Possent dici nubem hanc igniferam significasse baptismum qui ratione aquæ erat corporis, ratione ignis animæ, II, Pa.

II. Purificationem fieri per *aquam & ignem* unde *lota* primum, deinde *igni imposta* oblata sacrificia. Docet nos Clar. Lomejerus etiam gentiles *igne & aqua* quævis impura lustrasse, atque ita.

III. Referas ad mundi interitum qui primo *aqua* postea *igne* erit purificandus *II. Petr: III, 6. 7.*

IV. Nubes hæc ex igne aquea forte designavit Spir. Sanctum Israelitis quidem esse promissum & quodammodo ostensum, verum tempore Christi effundendum elargiendumque: aperta enim & scissa nube primo in ipsum Christum, postea cum fragore quasi nubifragio in Apostolos Spiritus sanctus est effusus. Tandem nubis columnam Vetus & Novum Testamentum significare *Ambrosio Arisberto* notavi p. 23. *Amæn, mear.* Hæc tibi gratificaturus in Chartam conjeci, spero fore grata, & venia digna. Vale cum tuis. *Dabam Harderovici ad d. 18. April.*

clo lccci,

Catalogus librorum no-  
vorum ad rem sacram ac eccle-  
siasticam spectantium, nuperrime  
a Theologis Reformatis vul-  
gatorum continua-  
tus. a)

*Latine.*

**A**Nacrisis Apocalypseos Johannis A-  
postoli, Auctore Campegio VI-  
TRINGA Theol. & Hist. S. Pro-  
fessore, Editio altera, cum cura re-  
cognita, his illis in locis auctior:  
accedit huic editioni Judex accuratus cum  
locorum scripturæ S. & Vocum Hebræarum  
ac Græcarum, per occasionem expositarum  
&c. 4. Amst. 1719. Ejusdem Celeberrimi  
Theologi Commentarii luculenti in Jesaiam,  
qui pro thesauro eruditionis propheticae me-  
rito habendus est, tomus posterior nuperri-  
me a prælo liberatus dias luminis adspexit  
auras.

S. JUSTINI Philosophi & Martyris cum  
TRYPHONE Judæo Dialogus, cum Latina  
Jo. Langi Versione, quamplurimis in locis  
correcta, subjunctis emendationibus & No-  
tis

tis R. Stephani, Perionii, Sylburgii, Hallo-  
xii, Montacutii, Drusii, Colomesii, Cavii,  
Bulli, Grabii, pluribusque novis additis; an-  
nexis insuper ad calcem annotationibus Lan-  
gi & Kortholti, præmissis vero Langi præfa-  
tione, qua summam hujus Dialogi enarravit,  
actisque Martyrii S. Justini & sociorum. Edi-  
ta a *Samuele* JEBB Lond. 1719. 8. Ch. m. Dia-  
logus Justini habet paginas 411. Notæ vero  
Langii & Kortholti p. 31. Cum *Grabius* jam  
quædam Patris hujus ediderit, telam ab eo  
inchoatam Cl. *Jebbius* continuare & absolvere  
voluit; quare & Dialogus hic eadem, quæ  
antea Apologia Justini, forma nitidissime est im-  
pressus. Vide Act. Erud. 1720. mense Jan.  
pag. 5. sq.

Dissertationum Theologicarum de Religio-  
nis Christianæ præstantia ac divinitate decas.  
Cum oratione de Crucis trophæis ac Christi  
triumphis & populorum ad Christianismum  
conversione. Authore Benedicto PICTETO,  
Past. & Prof. Theol. Genevæ 1719. 8.  
pagg. 575.

הלכות שקלים i. R. Mosis Maimonidis con-  
stitutiones de siclis, quas latinitate donavit &  
Notis illustravit Jo. Elgers, Amstelo-Batavus.  
Lugd. Bat. 1718. 4. plag. 20. Ad Acta  
Erudit. 1720. mense Jan. p. 41.

D. Henr. Jac. VAN BASHUYSEN Insti-  
tutiones Gemarico-Rabbinicæ, in quibus  
Class. III, Fasc. VI, D'd'd'd usus

usus Clavis Talmudicæ maximæ pluribus ostenditur. Zerv. 1718. 8.

Ej. Miscellanea sacra, sive disputationes Hanovicæ & Servestanæ, maxime ad loca SS. curiosiora, ex Philologia & Historia explicata, repetita, & notis & quaternione orationum hæctenus ineditarum auctæ. Witteb. 1719. 4.

Salom. VAN TILL dissertationes Theologico-Philologicæ, quibus accedunt Acta Apostolorum ad Annales revocata Lugd. Bat. 1719. 4. Excerptæ Boekzaal der geleerde Werelt Jun. 1719. act. VI. p. 732. sq. Pleraque antea sunt edita in celeberrimi Theologi Phosphoro Prophetico & Malachia illustrato, unde pessimo exemplo sunt discerpta, paucis additis, quæ separatim edi potuissent. Potissimam enim voluminis partem conficiunt dissertationes de situ paradisi terrestri & de anno, mense & die nati Christi: Quas jam bis emere oportet, si quis additos tractatus duos possidere cupiat. Prior constat dissertationibus Theologico-Chronologicis de initio Evangelii, de Johannis Baptistæ Ministerio, de ejusdem incarceratione, de sabbatho deuteroproto, de Paschate Joh. VI, 4. de duplici ministerii Christi prophetici epocha, quæ omnia pagg. 128. absolvuntur. Adjecta sunt Acta Apostolorum ad Annales revocata pagg. 56.

Η ΠΑΛΑΙΑ ΔΙΑΘΗΚΗ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΕΡΔΟΜΗ-  
ΚΟΝ-

KONTA. Vetus Testamentum, juxta Septuaginta Interpretes ; quod ex antiquissimo MS. Codice *Alexandrino* accurate descriptum, & ope aliorum Exemplarium ac priscorum Scriptorum, præsertim vero *Hexaplaris* Editionis *Origeniana* emendatum atque suppletum, additis sæpe Asteriscorum & Obelorum signis, summa cura edidit *Joannes Ernestus GRABE* S. T. P. Folio & octavo. Tomus II. continens Veteris Testamenti libros omnes Historicos, tam Canonicos, quam Apocryphos. Oxonii, e Theatro Sheldoniano 1719. Duos Tomos præclari hujus operis Cl. Græbius, dum superesset in vivis, edidit, Primum, qui continet Pentateuchum, libros Josuæ, Judicum & Ruth A. 1707. Quartum seu ultimum, in quo extant Psalmorum, Jobi, ac tres Salomonis libri, cum Apocrypha ejusdem, nec non Siracidæ sapientia A. 1709. Secundus, qui nunc comparet, est posthumus, quem tamen, ut plenum sistatur opus, & Tertius brevi sequetur, qui libros Propheticos exhibebit. Vide Bibliotheq. Angl. Tome VI. Part. 2. p. 502. sq.

*Francisci FABRICII* Tractatus Philologico-Theologicus de Sacerdotio Christi juxta ordinem Melchisedeci, quo loca Gen. XIV, 18-20. Ps. CX, 4. Hebr. VII, 1-10. & universæ Quæstiones, quæ ad hunc Salemensium Regem & Sacerdotem spectant, diligentius explicantur & ventilantur. Lugduni Bat.

1720. 4. plagula 44. Confer Republ. der Geleerd. Nov. Dec. 1719. p. 531. sq.

Ruardi ANDALA Cartesius Spinofismi Everfor & Physicæ Experimentalis Architectus Franeq. 1719. 4.

-- -- Alloquium sive responsum Tractatui nupero præmissum vindicatum. Ibid. 1719. 4.

Joh. REGII responsio Apologetica ad accusatorium Cl. Collegæ & Antagonistæ Ruardi Andalæ alloquium, qua viri Cl. iniquas & falsas criminationes, exhibitis quibusdam speciminibus eluit & se in quaestione maxime capitali de unica substantia, quam sententiam Cartesio merito tribui, ex ipsa Viri Cl. ficta interpretatione evasit manifestum, optima fide egisse, Cartesiique verba ibi alium sensum fundere non posse, denuo quam clarissime demonstrat. Franeq. 1710. 8.

Fred. SPANHEMII Controversiarum de religione cum dissidentibus hodie Christianis & cum Judæis elenchus historico Theologicus. Editio quæ novum opus videri possit. Basil. 1714. 4. pagg. 808.

Johannis MEYERI modesta & realis defensio animadversionum suarum in dissertationem Joh. Con. Clasingii Superintendentis & V. D. M. de unctione sacra Exod. XXX. vindiciis ejus, quæ non nisi conviciis & sesquipedalibus verbis refertæ sunt, opposita. Har-derov. 1720. 4. pagg. 100.

*Salomonis* VAN TILL Opus Analyticum  
comprehendens introductionē in sacram Scri-  
pturam ad Joh. H. Heideggeri Enchiridion Bi-  
blicum *ιερομνημονικον* concinnatum 4to 1720.  
Tomus I. complectens pagg. 881. & usque ad  
Jobum producens Analyfin. Tomus II. com-  
plectens pagg. 800. a Jobo (exceptis tamen  
Psalms) ad finem Bibliorum.

Nubes testium pro moderato & pacifico  
de rebus Theologicis judicio, & instituenda  
inter protestantes concordia. Præmissa est  
brevis & pacifica de Articulis Fundamenta-  
libus disquisitio; qua ad Protestantium Pa-  
cem, mutuamque tolerantiam via sternitur.  
Dissertationem exaravit & testimonia colle-  
git *Job. Alph. TURRETINUS* in Ecclesia &  
Academia Genevensi Pastor, S. Theol. & Hist.  
Eccl. Professor. Francof. & Lips. 1720. 4.  
plagulae 26.

(2.) *Gallice.*

Dogme de la Presence réelle combattu &  
détruit par une suite historique de Preuves,  
qui font voir le commencement, le progres  
& l'accomplissement de la doctrine de l'Egli-  
se Rom. touchant la Transubstantiation. Trad.  
du Latin du Docteur (a) COSIN, Eveque  
de *Durham* Amst. 1719. 12.

Dddd 3

Mo-

(a) Hic *Johannes Cosinus*, vir eruditissimus, libellum  
hunc primò conscripserat circa annum 1657. cum à  
sacris esset Regis Caroli II. tum exulis & Coloniae A-  
grip-

Le Moyen de plaire a Dieu sous l' Evangile, ou l' on traite des Conditions, que ceux, qui croient en Jesus-Christ doivent remplir, pour etre agreables a Dieu, & des Illusions, dans lesquelles ils sont sujets a tomber sur cet Article, Par Mr. Benj. Hoadly, Eveque de Bangor. Traduit de l' Anglois par M. Ricotier en 2. Voll. Amst. 1720. 8.

Sermons Nouveaux, avec des prieres, par M. BASNAGE Amst. 1720. 8.

Discours Historiques, Critiques, Theologiques & Moraux, sur les Evenemens les plus memorables du Vieux & du Nouveau Testament, par Mr. SAURIN, Ministre du St. Evangile a la Haie. Avec des Figures gravees sur les Dessesins de Mrs. Hoet, Houbraker & Piart. Tome I. sur les cinq Livres de Moise A Amsterdam 1720. fol. pagg. 658. computatis simul Dedicacione, Praefatione & Indicibus. Figuræ aeneæ in hoc volumine septuaginta con-

grippinae commorantis, ut scilicet responderet Je-  
suis, qui monstrosum illud Transubstantiationis do-  
gma a veteris ecclesiae Patribus creditum fuisse aude-  
bant asserere. Cujus rei historia non solum in præ-  
fatione libro ipsi præmissa, sed & in descriptione  
vitæ ejus legitur, quam inter alias eruditissimorum  
Virorum vitas Londini a. 1707. editas exhibet Tho-  
mas Smithus. Non autem liber ille prodiit, quam  
septendecim annis posteaquam conscriptus fuerat,  
paulo ante Auctoris obitum curante Durello, eccle-  
siae Dunelmensis præbendario, & Decano Windfori-  
ensi Londini 1675. 8. recusatus tamen brevi postea heie  
Bremæ 1678. 8. T. d. H.

conspiciuntur. Primus hic Tomus est Operis biblici, cui in hoc genere, quod quoad elegantiam & splendorem paria faciat, nihil hactenus prodiit. Venditur hoc volumen in charta minori 43. florenis Belgicis, in majori 55. in regia maxima 69. in Imperiali 80. Quædam exemplaria serico nitidissimo impressa sunt. Duo adhuc Volumina sequentur, unum in reliquos libros veteris, alterum in libros Novi Testamenti. Dissertationes, quibus Pentateuchus varie illustratur, eruditionem Cl. Authoris abunde testantur, nec sine insigni encomio recensentur a Joh. Clerico, Biblioth. Anc. & Mod. Tome XII. p. 237. sq.

Abregé des controverses par Ch. DRELIN-COURT Rotterd. 1719. 8. nouv. Edit.

Traité de la verité de la Religion Chretienne par Mr. ABBADIE. Sixieme edition. Amst. 1719. 8.

*Le Philosophe Chretien*, ou nouvelle philosophie, tirée de la parole de Dieu, autrement dite l'écriture sainte. Ouvrage ou l'on trouvera, entre autres choses, tous les misteres de la religion decouverts. A Londres 1719. 12. pagg. 41. Vide *Biblioth. Angl.* p. 1. T. VI. num. 12.

(3.) *Belgice.*

Jesús Christus, Godt en Mensch, vertoont in zyne Heerlykheit; nevens de Nietigheid van't Menschdom, uitgebeeld na de doot. Beyde uyt het Fransche vertaalt Te Leuwarden

Dddd 4

den

den 1719. 4. Tractatus prior est concio in Hebr. I. 3. a la Gravio habita, constans pagg. 33. Posterioris, quæ pagg. 27. conficit, Author est L. Parent. Utrumque vertit Franciscus HALMA, subjuncto carmine, in quo excellit, Belgico.

Korte Schets van't leven en sterven der Martelaren, beginnende met het leven en Kruysdood van onsen Zalignaker Jesus Christus, en eyndigende met de Vervolginge in Piemont, verrykt met 151. afdruksels van koperen platen en soo veel Versen op deselve, in groot Quarto door *Claes Bruyn*. 1719. 4.

De godsdienstige Christen in syn gedrag by Kranken, en hem selve bereydende tot een zalig sterven: met een verhoog van de gelukkige staet der Gelovigen an dit leven, en hoe daer toe te Komen, door N. S. V. L. Derde en laatste Deel Amst. 1719. 8. 2. Alp. 2. pl.

Des Gods dienste Christens Zielverlusting, of verscheyde Geestelyke Gezangen, staende op de oeffening van de Geestelyke Godsdienst der Christenen door N. S. V. L. Amst. 1719. 8.

Kort ontwerp van het licht der Waarheyd, waer in de wesentlykste gronden der H. Godgeleertheyt in het licht der Waarheyd verklaert, kortbondig werden by een getrokken tot onderwys der geener die lust hebben om toe te nemen in de Leere der Waarheyd die na de Godsaligheyd is: als mede

mede het Licht der Waarheyd , of geheele Godgeleertheyt beweert enz. 4. Stücken als ook korte Leyding tot het Licht der Waarheyd , volgens het Kort begrip der Heydelbergse Catechismus enz. alle door *Robertus ÆMILIUS* , Bedienaar van het H. Evang. en Opperregent van het Staten Collegie *Leiden* 8. 1719.

De Brieven van den Apostel Paulus aen de Gemeenten der Galateren , en Colossen- sen ontleed, verklaert, en betoogt dor *S. HAZEVOET* Predikant tot Vlissingen. *Leiden* 1719. 4. philyræ 87. V. Republ. der Geleerd. Nov. en Dec 1719. p. 424. sq.

Verklaringen van de voornaemste Heilige een Schriftuyrlyke Zinbeelden, uyt verscheyde Outheden opgeheldert door *A. RUIMIG* Predikant te Groede , aangepresen door een Brief van de Hr. Professor *T. H. van den Hoert* , aen den Schryver van dit Werk. *Leiden* 1719. 4.

De onstervelyke Helden, op den Segenwagen van hun Geloof , naar hunne Dood de Wereld omgevoerd , tot voorbeelden voor de volgende geslagten, door *Laurentius STEVERSLOOT* , Bedienaar in Gods kerk te *Leyden* 4. 1720.

*Bern.* NIEUWENTYD gronden van Zekerheyd, of de regte betoogwyse der Wis- kondigen; soo in't denkbeeldige als in't Za- kelyke , ter wederlegging van *Spinosaas* denkbeeldig. samenstel en ter aanleyding van  
een

een sekere fakelyke Wysbegeerte. 4. Amst. 1720.

Heilige Vitspanningen , om den geest te verlustigen ; ofte Aanmerkingen over eenige plaatsē van de H. Schriftuur , voornamentlyk de Taalkunde en Oudheden rakende. Begrepen in twee boeken, door *Job. JANZONIUS*, Bedienaar van het H. Evangelium te Moordregt. Te Rotterdam 1720. 4. plagulae 47. V. Republ. der Geleerden Nov. Dec. 1719. p. 501. sq.

Joodsche Oudheden, ten opzichte van hunne Mondwet en Talmud, als eerste Grondbeginselen van hun Gelove en Godsdienst, uit de eige schriften hunner vermaardste Rabbinen betoogt en door verscheide aanmerkingen van beroemde Joodsche Oudheidkenners nader opgeheldert door *Daniel LE ROY*, bedienaar des Godd. Woords te Rotterdam. Rotterd 1720. 8. plagulae 37. V. Republ. der Geleerden Nov. Dec. 1719. p. 513. sq.

Een kort en klaar Vertoog van de onmoglykheit, dat de Denking sonde ontstaan uyt de Stoffe en Beweging : mitsgaders eenige Redenvoeringen over de Natuur der Menschelyke Zielen, en over de beesten ; over de *Anima Mundi* (Ziele van de Wereldt) en de onderstelling van het *το παν*, (Geheel-Al) als mede over de Natuur van Godt en het Geheel-al in 't algemeen. Dienende tot  
krach-

krachtige Wederlegging van de Verfœielyke dwalingen der oude en hedendaagsche Godisten, Vrygeesten, Spinozisten en andere in het Engelsch beschreven door Mr. *Humphry* DITTON en vertaalt door Hre. *Cornelis* COORN, Predikant in de Engelsche Kerk tot Middelburg 1720. 8.

De Plicht en Beloning der Weldadigheid aan den Armen, en het Lyden van onsen gezegenden Zaligmaker, verhandelt in twee Predikationen over Ps. CXII. 9. en. Phil. II. 8. door den H. *Isaak* BARROW D. D. en gewesene Meester van het Collegie der Drie-eenigheid in Cambrids. Na den vierden Druk uit het Engelsch vertaalt, door *H. Verryn Paulusz*. Roterd. 1720. 8.

Twaalf Heilige Oefeningen, waar in de XLV. Psalm uitvoerig word verklaart, met byvoeging van verscheidene aanmerkingen, over de Zinbeelden, oudheden en uitlegginge der H. Schrift, door F. A. LAMPE, uit het Latyn vertaalt door Mr. GARGON 2. deelen. 8. Dordregt. 1720.

Het Hooglied van Salomo verklaart en vergeestelykt door *Abraham* HELLEBROEK, tweede deel 4.


Balsam uit Gilead, tegen aanstekende ziekte, ter gemeene siftinge by dese gevaarlyke tyden medegedeeld door *Fred. Ad.* LAMPE, uit het Hoogduitsch vertaald. Te Am-


Amsterdam 1719. 8. 25. philyræ. Accessit huic editioni concio habita ab authore in Pl. CXIX. 175. cum ex difficili morbo restitutus esset.

Oost-Frieslands Jubel jaar over de Reformatie der Godsdienst, zedert het jaar MDXIX. in de Maandt Junius, aangetoond uit den text 1. Kor. XV. 1. 2. Inleidinge uit 2. Kro. XXXIV. 15. 16. tot roem van de goeder-tierenheden des Heeren onzes Gods, naar tyds en dezes lands Gelegenheit, ter ware Godtvruchtigheid en heiligen yver in deze yverloze dagen breder uitgebreid; uit de oudheden en Kerkelyke Geschiedenissen verklaart en nader toegepast op den 25. Junius des Jaars MDCCXIX. Door J. Isbr. HARKENROHT. Emd. 1720.


Kort opstell der natuurkundige Godgeleerdheid door Hermannus REINERS Amst. 1718. 8. pagg. 170. præter præfationem, quæ habet pagg. 50. Vide Boeksaal Maert. 1719.

Gerhardi OUTHOVII narratio de inundationibus indicata à nobis Tomi II. pag. 111. nunc longe auctior recusa est, & continet Alph. II. pl. 9. 8.









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

# KODAK Color Control Patches

©Eastman Kodak Company, 1997



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



© The Tiffen Company, 2000

# KODAK Gray Scale



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**A** 1 2 3 4 5 6 **M** 8 9 10 11 12 13 14 15 **B** 17 18 19

